10. 7. 146

Digitized by Google

# AUTHORIS
## HISTORIÆ CONGREGATIONUM
# DE AUXILIIS
# DEFENSIO

Adversùs Querelam

CAROLI GASPARIS

METZENII

Academiæ Trevirenſis Syndici.

MED.PALAT. BIBL.CAES.

LOVANII,

Apud Ægidium Denique,

*Cum Approbatione,*

MDCCI.

Digitized by Google

Digitized by Google

# MONITUM.

DUctâ ad umbilicum opellâ, nunciatum eſt, Italiæ Socios ſupplicem Monitionem Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Remenſi ante annum tertium oblatam, & Leodienſem Epiſtolam, Abbati Auxiliorum Hiſtoriam meditanti olim inſcriptam, italicè reddidiſſe, ac ſtudiosè diſſeminare: ut turbatos ſuorum animos erigant, illosque in Moliniſmi fide contineant. Vulgatâ enim per Italiam Hiſtoriâ noſtrâ,

—— Pavor ingruit ingens *Homer.*
Omnibus, inque pedes animus
mox decidit omnis.

Erit fortaſsè qui ſtupeat, dum veteres nænias novam in ſcenam induci videt, putidasque fabellas, à nobis jam dudum data opera confutatas, novis tibiis decantari; iis planè diſſimulatis, quæ ſcripſimus in oppoſitum: quaſi obliterari illa poſſent, & ab eruditorum mentibus deleri tam brevi ſpatio. Nos



Digitized by Google

*contrà, nihil iſta miramur, quibus dudum perſpectum eſt, ſi quid ab Sociorum aliquo, alicubi gentium, in communis cauſæ præſidium ſcriptum eſt, id à cæteris ubique terrarum velut ex condicto indeſinenter obtrudi, atque ad ravim uſque decantari; tametſi fuerit id ſexcentis ſcriptionibus confutatum.*

*Apud Manut. in Adagiis.*

*Id ſcilicet in Societate videre eſt, quod olim in Dodonæo Jovis Templo.* Erat illud, *ut ſcribit Suidas,* Lebetibus æreis undique cinctum, ita ut invicem ſe ſe contingerent: unde neceſſum erat fieri, ut uno quopiam pulſato, viciſſim & omnes reſonarent, ſonitu per contactum ab aliis ad alios ſuccedente: durabatque in longum tempus tinnitus ille, videlicet per orbem redeunte ſono. *Ita nunc Socii: ſi quis alicubi, communis commodi ſtudio, næniam aliquam etiam lugentibus cunctis præcinuerit, eandem ubivis gentium cæteri vocem reddunt; idem carmen, quaſi ſuccedente per vices ſono,*

alii

*alii ſuccinunt: ut planè*

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas *Iuvenal.*
Pulſari. —— *Nec ſpes eſt ut ſibi temperent, oraque comprimant; tametſi futilem cantilenam congeſtis magna mole libris eventiles: ſed contrà potiùs, obfirmatis animis, rerumque exitu diſſimulato, eandem ævo integro fabulam ingerent: ut ſin minùs eruditis, at aurito gregi, & ſervo pecori fucum faciant.*

*Obſoletos itaque libellos Italico idiomate recuſos, quid miremur? Recudent fortaſſis Hiſpanico, Germanico, Anglico, ac ſi ſors ita tulerit, Arabico, atque Turcico. Sed quid nos interim? Id unum reponere juvat, quod aliàs Auguſtinus Juliano eaſdem ingerenti nænias reponebat*: Jam reſponſum eſt, nil novi dicere potes: tace ſi potes; ſed neque hoc potes. *Lib.6. contr. Iul.*

*Cæterùm quod præmiſſa recuſis libellis Præfatione ariolantur, Leodienſem Epiſtolam, tanquàm* abſciſſum de *Dan. 2.*

monte

monte lapidem, *univerſam Auxiliorum Hiſtoriam, uti Nabuchodonoſoris ſtatuam, comminuiſſe, ingens profectò philautiæ, turpiſque jactantiæ argumentum eſt. Epiſtolarem illam rapſodiam ante annum tertium evulgatam, atque à nobis cumulatiſſimè diſpunctam,* lapidem inutilem, opus manus antiquæ, *cæteri planè omnes appellant, qui Auxiliorum Hiſtoriam lectitarunt: nemoque affectu vacuus inventus eſt unus, qui rationum noſtrarum momentis expenſis, queis funditorem Leodienſem exagitavimus, non illicò illud Jobi* 41. *v.* 19. *pronunciaverit:* In ſtipulam verſi ſunt lapides fundæ.

Sap. 13. v. 10.

*Alterum quod narrant ejuſdem Præfatiunculæ caput (nihil enim hactenùs præter auditum habeo) minùs moror: inſulſam videlicet, fatuamque Janſeniſmi accuſationem, qua nos temerè, ac pro arbitrio ſugillant, quaſi in Janſeniana officina noſtra Congregationum Hiſtoria cuſa fuerit. Eſt hoc jam dudum rubigine telum exeſum, quo priſcos Auguſtinianæ doctrinæ*

*doctrinæ Vindices ab æmulis appetitos novimus, ut illis, ſi fieri quidem poſſet, ora præcluderent.* Quotieſcunque nos, *inquit D. Proſper in Reſponſo ad Capitula Gallorum Cap.* 41. contra eos ſuſcepimus, dixerunt nos ex hæreticorum argutiis contra ſe agere. Videntes enim ſe ita ſuperari, ut reſpirare non poſſint, hanc calumniam ſemper Catholicis irrogant; ut dum timent ſe hæreticos infamari, in ſilentio loquelam veritatis arctarent. *Raucam itaque, frivolamque accuſationem, quæ dudum in vulgi fabulam venit, nauci facimus: Italum Editorem calumniæ poſtulamus: ac ſicut Auguſtinianæ, Thomiſticæque doctrinæ aſſertores, ac vindices ſumus, ita omnem ab Eccleſia reprobatam hæreſim exſecramur.*

AUTHO-

Digitized by Google

# AUTHORIS HISTORIÆ CONGREGATIONUM *DE AUXILIIS* DEFENSIO

Aduersùs Querelam

CAROLI GASPARIS METZENII

Academiæ Trevirenſis Syndici.

## CAPUT I.

*Caroli Metzenii Syndici Trevirenſis Querela, Scriptionis occaſio, & argumentum.*

ALTER annus agitur, ex quo Congregationum de Divinæ Gratiæ Auxiliis Hiſtoria vindicata publicis typis data eſt. Vix lucem aſpexit recentis fœturæ liber, cùm ſtatim rumor inceſſit, viros aliquos eruditos, qui ſe molliter licet ac I.

 mode-

Digitized by Google

modeſtè perſtrictos ægrè ferebant, jam tunc calamum acuiſſe, ac nonnihil contra nos parturire: aut quia verè id agerent, aut quia ita credi, illorum forſan intererat. Mox quorumdam in Societate primæ notæ, quibus Hiſtoriæ noſtræ confutandæ provincia demandata eſſet, diſtincta nomina fama vulgavit; ut nos intra breve ſpatiū contrariis ſcriptionibus obrutum iri, nemo non crederet. Verùm poſt longam temporis moram, quæ maturandis fœtibus ſatis eſſet, nihil librorum vulgari cernimus, ſed novam, atque inauditam labefactandæ Hiſtoriæ noſtræ viam iniri. Nonnullas Germaniæ Academias, quas penè omnes moderantur, ac regunt, quarum & Cathedras occupant, & literarios gradus pro nutu diſpenſant, in ſcenam inducunt, quæ in nos cenſoriam virgam exerant. Poſito itaque calamo, donec meliora ſuccurrant, ſuas interim infulas ſumunt: novique tituli beneficio, Actoris peſonâ depoſitâ, Judicis induunt: & incautos, qui Societatis viros ſcholas illas imperio regere, ipſaque Societatis Gymnaſia Academiarum titulis ornari neſciunt, magni nominis umbrâ terrefaciunt.

Carolum Gaſparem Metzenium, Trevirenſis Academiæ Syndicum, ante menſes aliquot occuparunt, qui tanquàm publici

publici Fiſci Procurator, in Comitiis Univerſitatis, die 16. Novembris dato 1700.
Libello, Hiſtoriæ damnationem apud venerandos Patres, quos inter adverſa mihi pars ſedet judex, urgeret pro viribus: nullam mihi erroris notam inurens (ne quis illum tuendæ Religionis zelo ductum exiſtimet) ſed id unum vitio vertens, quòd datâ ſemel, & iterum occaſione, minùs benignum de nonnullis Germaniæ Academiis teſtimonium miſcuiſſem.

II. Et quidem (ut quæ mihi earum Academiarum occaſione inter ſcribendum exciderint, paucis exponam) dicam ingenuè, quod res eſt. Cùm in hanc de Divinis Auxiliis motam litem, ubi Societatis res agebatur, & cauſa, ſe ſe identidem intuliſſent Germanicæ Academiæ, quas jam tunc moderabantur, & occupabant, ut de controversâ doctrinâ judicium ferrent; poſtulavit inſtituti operis ratio, juſtaque defenſionis titulus, ut contra illarum Cenſuras exciperem, & univerſa queis earum ſuffragium elevari poſſet, advocarem. Eccur enim Societatis Theologos, ſub honeſto Academiarum titulo latitantes, domeſticæ cauſæ judicium affectare, & adverſam partem cenſuris inurere permiſiſſem, compreſſo labello, quaſſatoque calamo?

Id cumprimis exſecutus ſum Lib. 1. Cap. 3. ubi poſt narratas Belgicarum Academiarum Cenſuras, quibus Leſſius, & Hamelius anno 1587. inuſti fuerant, illos ad Theologos Trevirenſes, & Moguntinos provocaſſe noto, in hæc verba: *Geminis Academiarum Cenſuris petiti, deſperatis rebus conſulendum Jeſuitæ judicarunt. Academias Trevirenſem, & Moguntinam concitarunt, in ſuæ doctrinæ qualecumque præſidium, obſcuri certè nominis Academias, in quibus non triduo, ut de cauſarum Patronis aiebat Tullius, ſed uno mane Doctores Theologi fabricantur.* Tum nonnulla momenta exſequor, ut oſtendam, *quàm leve, quàm elumbe de orta Lovanii Controverſia judicium tulerint*: ac tandem Epiſcopos benè multos, alioſque meritiſſimos viros, Cenſuras Belgicas comprobaſſe obſervo, *deſpectis, contemtiſque volaticis Germanorum Judiciis.* Et hic quidem de Trevirenſibus duntaxat, & Moguntinis mihi ſermo fuit, quos Lovanienſium, & Duacenſium comparatione, obſcuri nominis Theologos dixi, & ſubitæ fœturæ Magiſtros: cùm contrà, in Belgicis Academiis toto Orbe celeberrimis, Doctores lento molimine, ac repetitis per annos multos difficillimis experimentis, Sapientiæ veluti ſacris initientur.

Se-

Secundam adverſus eaſdem, [illegible]que nonnullas Germaniæ Academias exceptionem dedi Lib. 2. Cap. 4. Scripti cujuſdam à decem Jeſuitis elaborati 1599. occaſione, quo Molinæ doctrinam multis pigmentis obductam, uti Fidei Catholicæ teſſeram propugnabant; Thomiſticam verò, atris coloribus expreſſam, graviſſimis erroris, atque hæreſeos notis inurebant. Cùm enim ante annos ali[illegible] non ita[illegible]unctum caput extuliſſent [illegible]linæ vindices, ex Hiſpanicarum Academiarum conſult[illegible]ne, à quibus Moliniſmus Pelagianiſmi notatus fuerat, jamque Romani C[illegible]tores ab Apoſtolica Sede delegati [illegible] in eum Cenſuram expediviſſent, imminentis Judicii Pontificii metu perculſi, ſuas illas, quas jam tunc occupabant Germanicas Academias in auxilium invocarunt, quæ edito famoſo ſcripto calculos adderent: ut hac arte committerentur variarum gentium Academiæ, & incautos, qui eas à Jeſuitis occupari neſcirent, grandi nomine terrefacerent. Quare ne officio deeſſem, neve cauſam omninò proderem, exceptionem adverſùs Germanicas illas Academias dedi, quàm modeſtiſſimè potui. *Erat hæc*, inquiebam, *ſolemnis Scholæ Thomiſticæ accuſatio, ad ſupremum Eccleſiæ Tribunal prope*



Digitized by Google

*[illegible] Metzenii Trevir. Syndici [illegible]enda. Cui quidem, ut robur, & au[illegible]ritatem adjicerent, variarum obſcuri nominis Academiarum (in quibus & ipſi tunc maximè dominabantur) Ingolſtadienſis ſcilicet, Græcenſis, Dilinganæ, Uvirceburgenſis, Moguntinæ, Muſſipontanæ, Trevirenſis, & Viennenſis ſubſcriptiones extorſerunt. privata quidem induſtria, nec ſine numeratæ pecuniæ ſuſpicione.*

En quæ Syndicum Trevire[illegible]m commoverunt [illegible] alieni [illegible]uris, ac fori, [illegible] Univerſitatis [illegible]ibunali, ubi [illegible] mihi pars ſedet [illegible]x, [illegible]quam [illegible]latæ Academicæ Majeſtatis reũ ager[illegible] vulgatâque per Germaniam declamatione, cui *Juſtæ Querelæ* nomen dedit, c[illegible]m caneret, quò cæteras Academias Societati jam dudum in diſciplinam traditas, in virum liberum concitaret. Ob id unum me ceu Germanicæ Gentis [illegible]feſſum hoſtem mille conviciis oneravit; [illegible]esque, & lumbifragium miniratus, [illegible] *Traductorem infumem, atri ingenii virum, impudentem, tenebrionem, ſycophantam, Lavernionem, mendacem, blateronem, impudentiſſimum, veſpertilionem* excipere, nil veritus eſt Chriſtianæ Charitatis æmulator, quem ſalivâ virgine, tot brevi pagellâ convicia exſpuiſſe, nemo credat.

III. Mihi quidem conſtitutum fuerat, nil

contra

contra reponere, ſed libellum exiguum brevi in oblivionem iturum ſilentio proterere. Verùm partim amicorum hortatu, qui notam haud levem Hiſtoriæ noſtræ inuſtam querebantur, partim malevolorum artibus, qui vulgatam declamationem, verbis quidem brevem, conviciis tamen longam, non uti priuati hominis fœtum, ſed uti publicum Academiæ Inſtrumentum, quaquaversùm diſſeminabant, fidemque illi conciliare ſatagebant, reponere coactus ſum, levi quidem manu, & intra modum; ne quis laborem hunc obtrectandi libidine à me ſuſceptum exiſtimaret.

Itaque textrinum ingreſſus, denuò hanc Germanicarum Academiarum telam capeſcere, ac novo labore veluti redordiri animus eſt. Quæ obiter in tranſcurſu, duobus illis locis à Syndico Trevirenſi in invidiam traductis, innueram, lento ductu, & pleniùs exſequar, dictiſque fidem afferam: quò me adversùs Germanicarum Academiarum judicia, jure, meritoque excepiſſe, liqueat; nec plus æquo earumdem dignitatem, authoritatemque (ſpectatâ potiſſimùm rei controverſæ, ac temporum conditione) depreſſiſſe. Opus ægrè molior invidiæ plenum, quippè qui querelas nec tunc quidem gratas eſſe ſciam,

cum ſunt neceſſariæ: at ab iis invitus provocor, quorum forſan intererat, nonnulla de ſe leviter dicta prudenti ſilentio diſſimulare, ne longiorem invidioſæ contentionis funem ducere cogerer.

Mordacioris nihilominùs Syndici dicteria probra, convicia, queis me ſuâ illâ vulgatâ declamatione conſcidit, ſurdâ aure præteribo, nec adverſarium talione mordebo: ac licet, qui malè dicunt id vulgò conſequantur, ut malè audiant, nihil à me, niſi Hieronymi dictum accipiet, tanquàm opportunum quibusvis maledictis antidotum, Lib. 3. Apologiæ contra Rufinum. Cap. ult. *Poſſem & ego tuis te coloribus pingere, & inſanire contra inſanientem, & dicere quidquid vel ſcio, vel neſcio, & eadem licentia, immò furore, & amentia, vel falſa, vel vera congerere, ut & me loqui, & te puderet audire: & objicere tibi, quæ aut accuſantem damnarent, aut accuſatum, ut ex frontis duritia fidem Lectori facerem; ut quod impudenter ſcriberem, verè ſcribere judicarer. Sed procul ſit à moribus Chriſtianis, ut dum aliorum petunt ſanguinem, ſuum offerant, & ſine gladio voluntate homicidæ ſint.*

CA-

## CAPUT II.

*Nonnullarum Germaniæ Academiarum Judicia, quibus tranſmiſſum Societatis ſcriptum anno* 1599. *approbarunt, à nupero Congregationum Hiſtorico jure rejecta.*

EX ceptionem à nobis datam, contra nonnullas Germaniæ Academias, quæ pendentis de Divinis Auxiliis Controverſiæ judicium affectaverant, nemo iniquo feret animo, niſi qui jus inauditum, ac novum in propria cauſa judicandi, Societati vindicaret; quodque ne ſummis quidem capitibus leges arrogant, eiuſdem Profeſſoribus datum vellet. Societatem in ea prægravi de Divinis Auxiliis motâ lite, ab Academia Lovanienſi primùm, tum à Prædicatoribus intentatâ, cujus Hiſtoriam adornavimus, tanquàm pro aris, ac focis decertaſſe; cauſamque privatorum, quorum occaſione emerſerat, feciſſe ſuam, collatiſque conſiliis, ac viribus defendiſſe, comperta res. eſt, lippis, ac tonſoribus nota. Id ſi probare voluero, ludam operam, Solemque lucere meridiè demonſtrabo. Hoc igitur unum ſcire juvat, I.

quæ-

quænam illæ fuerint Academiæ, quæ in eam ſe litem intulerint, de controverſâ doctrinâ datis ſuffragiis pronunciarunt, cauſamque Societati adverſùs Prædicatores, ac Lovanienſes adjudicarunt: ut hinc tandem æqui, bonique viderint, jurene an injuriâ, ab illarum judiciis provocaverim, quòd ſibi cauſæ propriæ, aut certè domeſticæ arbitrium arrogaſſent.

Sunt illæ admodum octo: Græcenſis, Muſſipontana, (quam ex oſcitantiâ Germanicis Academiis adnumerabant, cùm in Lotharingia ſita ſit) Dilinganâ, Moguntina, Trevirenſis, Uvirceburgenſis, quam & Herbipolenſem appellant, Ingolſtadienſis, & Viennenſis ipſa ſcilicet Societatis Collegia, Academiarum privilegiis, ac titulis aucta; aut certè ſcholæ publicæ, quas ea præſertim ætate moderabantur: ut non tam Theologi affectu vacui, quàm Jeſuitæ ipſi, in quos intentata lis erat, pro ſuâ ipſorum doctrinâ ſuffragia tuliſſe, atque in partem adverſam pronunciaſſe putandi ſint. De ſingulis dicam ex ordine: quæque obiter in Additis ad Hiſtoriam nuper attigi, paulò diſtinctiùs, & accuratiùs advocabo. Non pauca enim novo ſtudio deprehendi, quæ minùs antea obſervaveram.

Ac

Ac primò quidem, Academiam Gracenſem, nec non Muſſipontanam à prima inſtitutione, nil niſi Societatis Gymnaſia fuiſſe, ac etiamnum eſſe, à Carolo Archiduce Auſtriæ, & Carolo Cardinali à Lotharingiâ fundata, quibus Academiarum titulos, jura, privilegia, & graduum conferendorum facultatem Romani Pontifices conceſſere, nemo neſcit. Exſtant ea de re diſtinctæ Conſtitutiones Sixti V. anno 1585. quæ incipit *Cœleſtis Patriæ*, & Gregorii XIII. anno 1572. cui initium eſt *In ſuperemi-nenti*. II.

Par Dilinganæ Academiæ conditio. Societatis ſcholam in publicam Academiam erexit Otho Cardinalis Truchesſeſſus, hancque totam, & integram eorumdem curæ permiſit, anno 1564. Ita Sacchinus Lib. 8. Hiſtoriæ Societatis, num. 107. *Dilingæ Otho Cardinalis Auguſtanus, qui anno priore partem excitatæ ab ſe Academiæ Societati tradiderat, perpetuitati eius, commoditatique conſulturus, totam 16. Kal. Septembris, quàm optimè inde habendam permiſit... Magna ceremonia totam Academiam Societati permiſit.*

Eandem, non initio quidem, ſed lapſu temporis fortunam ſortitæ ſunt, quæ ſequuntur quatuor Academiæ, Moguntina, Trevirenſis, Herbipolenſis, & Ingol-

golſtadienſis. Quamquàm enim ante ortam Societatem inſtitutæ eſſent, multoſque admodùm annos perennaſſent; attamen partìm Bellorum civilium turbine, partìm hæreſeos Lutheranæ, & Calvinianæ, latè cuncta in Germania depaſcentis furore, penè collapſæ, Societati demùm in diſciplinam traditæ ſunt, ejusque curæ commiſſæ, decimoſexto vertente ſeculo, ut vel hoc pacto reſtitui poſſent. Sic ut eæ quoque Academiæ longè ante annum 1588. quo ſe primùm in hanc de Divinis Auxiliis litem intulerunt, Societatis Gymnaſia cenſerentur, conferendorum graduum authoritate, ac privilegiis communita.

De Moguntina enim ita ſcribentem habemus Jacobum Middendorpium, Procancellarium Colonienſem, Libro 2. de Academiis Orbis, quem anno 1572. Pio V. Pontif. Maximo nuncupavit: *Moguntinam Dietherus Iſenburgus Archiep. circa annum Domini* 1482. *inſtituit. Nunc Philoſophia, & Linguarum cognitio, ac Sacra Theologia per Dominos de Societate Jeſu illic traditur, reliquæ diſciplinæ parum florent*. Diſtinctiùs verò pronunciat Andreas Mendo è Societate Jeſu, Libro 2. de Jure Academico, quæſt. 3. *Moguntina Academia inſtituta anno* 1482. *à Diethero Iſenburgo Archiepiſcopo, Patribus noſtræ So-*

*Societatis jam diu tradita eſt, in eaque Philoſophiam, Linguarum notitiam, & Theologiam edocent.*

De Trevirenſi non abſimiliter ſtatuit Franciſcus Sacchinus, Libro 4. Hiſtoriæ Societatis ſuæ, num. 100. *Joannes à Petra Archiepiſcopus Trevirenſis Academiam Trevirenſem olim celebrem, jam funditùs collapſam, reſtituere cogitat; ad Societatis homines curam applicat.* Quocircà Middendorpius, loco jam à me appellato: *Trevirenſis hæc Academia antiquiſſima quidem omnium Academiarum Germaniæ eſſe creditur: ſed propter varias mutationes, temporiſque injurias, ferè collapſam nuper prudentiſſimi Archipræſulis Joannis voluntate, & munificentia Domini de Societate inſtaurarunt*; in quos nimirùm Academiæ jura tranſlata ſunt.

Herbipolenſem, ſeu Uvirceburgenſem Academiam bellorum injuria collapſam, Societatis Profeſſoribus datam anno 1564. ut ſuis illam ſtudiis, & curis erigerent, notat idem Andreas Mendo, & Middendorpii ſuffragio confirmat. *Herbipolenſis Epiſcopus, & Princeps Fridericus Urbem, & Provinciam inſtauraturus, à religione, & literis, quæ unà ferè interierant, exordium duxit: & anno 1564. dùm adhuc fluctuabat, Societatis Jeſu Patres evocavit, illiſque Juventutem, tam in bonis lite-*

*literis, quàm pietate, & moribus erudiendam, inſtituendamque commiſit.* Academiâ ſcilicet illorum curæ commiſsâ.

Proſtratam tandem injuriâ temporum Ingolſtadienſem Academiam, illucque Societatem ſuam, ut erigeretur, ab Alberto Principe advocatam, magna pompâ deſcribit Orlandinus Lib. 16. Hiſtor. num. 23. & 24. *Neceſſitati curſurus Albertus Ingolſtadienſem Academiam valdè collapſam reſtituere, & inſtituto*
1556. *Adoleſcentium contubernio idoneam ſobolem ſtatuit educare. Horum operum adjutores coràm ab Caniſio, per literas ab Ignatio, homines ipſorum è numero viginti poſtulat, Templum, Domum, ſumptuſque vitæ neceſſarios largè pollicitus...... Octodecim ſalutato Pontifice, octavo Idus Junias profecti ſunt pedites.* Tum ſubindè narratâ munificentiâ Principis, quâ novos excepit Academiæ inſtauratores; à queis Scripturæ ſacræ, Theologiæ, Rethoricæ Cathedras regi voluit, primiſque ſurgentium ſtudiorum exercitationibus recenſitis, id coronidis loco ponit. *Singulos autem ſocios ſolenni Sacramento in membra Academiæ cooptari Princeps voluit. Et duos, quamvis Philoſophiam ipſi non docerent, tamen in Philoſophorum ordinem aſſumi, qui conſultationibus intereſſent, & promovendorum ad ſolennes gradus experimentis ..... Dux mirum*

*mirum in modum ſucceſſu latus, ſeriò cœpit de extruendo à fundamentis, certiſque reditibus firmando Collegio, deque amplificando operarum numero cogitavit, quod poſteà cumulatiſſimè factum eſt.*

Nihil itaque dubitandum, quatuor illas proximè recenſitas Academias in Societatis clientelam, & curam devolutas, eodem cum prioribus loco habendas; nec niſi Societatis ſcholas reputari oportere, quibus vetus Academiæ titulus adhæſit, ne prorsùs exciderent. Nec alio profectò nomine à Germanis in præſentia cenſentur, quibuscum frequentes ea de re collationes habere contigit.

De Academia Viennenſi paulò temperantiùs pronunciaverim. Quamquàm enim illàm anno 1529. Turcarum obſidione plurimum detrimenti cepiſſe ſciam, ac tum penè ad incitas redactàm ſub Ferdinando I. dum hæreſis Germaniam depopulata, magnam Doctorum, & Profeſſorum partem invaſiſſet, quo tempore in eam admiſſa Societas eſt, ut ejus ope muniretur; nuſpiàm tamen legere contigit, uni tunc Societati traditum literarum imperium, ut unico illorum Collegio Theologica Diſciplina concluderetur. Duas nihilominùs illi tunc attributas Theologiæ Cathedras ſcribit Franciſcus Sacchinus, Lib.2. Hiſto- III. *Midden. Lib.* 5. *edit.*2. *Mendo Lib.* 2. *q.* 1.

Hiſtoriæ Societatis ſuæ, num. 118. *In Viennenſi Academia pleriq; Doctorum erant dubiæ fidei. Idcircò Societatis Doctores authoritate Cæſarea confirmavit; eorumque duos in Academia divinas tradere diſciplinas voluit.* Nec multò poſt, tantam illìc authoritatem obtinuere, ſeu quòd conſtanti apud Imperatores gratiâ fruerentur, ſeu quòd omnes penè Cathedras regerent, cæterasque nonniſi inſtituti ab jisdem diſcipuli occuparent, ſeu quòd ſacras literas, plerique Religioſorum Ordines minùs colerent; ut cuncta nutu moderarentur, ac maiori forſan imperio, quàm ſi (quod in aliis acciderat Academiis) intra domeſticos lares Facultatem Theologicam concluſiſſent. Qui enim alibi domi tantùm, illìc domi ſimul ac foris imperitabant, ac etiamnùm imperitant.

Neque verò id mirum, aut Academiæ Viennenſi ſingulare: Societati quippe ea lex eſt obſervatione digniſſima, ut Academias vectigales ſibi faciat; nec in eas admittatur ipſa, ſed illas potiùs admittat, & quidem ex charitatis officio, non leges ab jis acceptura, ſed datura uti moderatrix, & domina. Ita nempè 4. Conſt. Parte, Cap. 11. *De Univerſitatibus in Societatem admittendis*, ſancitum eſt. *Eadem charitatis ratio, qua Collegia admittuntur,*

*tuntur, & publicæ ſcholæ in eis non tantùm ad noſtrorum, ſed magis etiam ad externorum ædificationem, in doctrina, & moribus tenentur, extendi poterit ad Univerſitatum curam ſuſcipiendam: ut in eis hic fructus extendatur, latiùsque pateat tam in ſcientiis, quæ traduntur, quàm in hominibus, qui ad eas conveniunt, & gradibus, ad quos promoventur: ut in aliis locis cum autboritate docere poſſint, quod in his benè ad Dei gloriam didicerint. Quibus tamen conditionibus, & obligationibus quibusque in locis hujusmodi Univerſitates admitti debeant, ei qui ſupremam curam Societatis habet, judicandum relinquitur; qui Aſſiſtentium ſibi auditis ſententiis, & aliorum, quos in conſilium adhiberi volet, per ſe ipſum deliberare poterit, an ſint admittendæ. Non tamen poſtquàm admiſſæ fuerint, ſine Congregatione generali per eum diſſolvi poterunt.*

Dicant nunc, qui nos læſæ Academicæ Majeſtatis reos agunt, quòd contra iſtarum Academiarum judicia exceperimus, ubi Societatis res agebatur, & cauſa; dicant, inquam, num fortè privilegium aliquod Societati datum obtendant, ut in ſuâ ipſius causâ judicium ferat, modò nomen, ac titulos mutet, & ſententiam pronunciet infulata? Septem enim Academias, Græcenſem, IV.

 Muſſi-

Muſſipontanam, Dilinganam, Moguntinam, Trevirenſem, Herbipolenſem, & Ingolſtadienſem, nil niſi Societatem infulatam; novoque titulo auctam novit Orbis; Viennenſem haud aliquid multo majus. Nec pluris earum de Divinis Auxiliis lata judicia facienda putant, quotquot res dignè æſtimant, quàm ſi in ea, quæ nunc de Cultu Sinenſium Romæ fervet, graviſſimâ controverſiâ, Pariſienſe Jeſuitarum Collegium ſententiam diceret; litemque Societati adjudicaret.

V. Quid porrò, ſi publica inſtrumenta, queis expreſſa ſententia eſt, vocemus in cenſum? Societatis Senatores penè omnes intueri licebit domeſticæ cauſæ judicium ſibi arrogantes; & quidem, quod feſtivum magis, ac lepidum, tacitâ ubique in ſyngraphis Profeſſione Jeſuiticâ, ut pudori conſulerent, & oſtentato Academiæ titulo, ut imprudentibus ora ſublinirent, & Romanos magni nominis umbrâ terrefacerent. Id ego leviter ſubinnueram, ac vix Lectori intelligendum dederam, dum ſubſcriptiones quarumdam Academiarum *privata Societatis induſtria* extortas ſignificarem. Verùm quandoquidem provocor, atque ubi maximè ſtilum ad modeſtiam flexi, audaciæ incuſor, rem totam ob oculos ponam,

nam, & occultæ machinationis vela reducam; ut hinc omnes intelligant, quæ ſit Academicis judiciis fides, quæ vis, quæ poteſtas, ubi laruati Senatores domeſticæ cauſæ judicium affectant, ne ſi detractâ larvâ pronunciarent, à cæteris exſibilarentur.

Enimverò Academiæ Græcenſis judicio, quo Scriptum à decem Jeſuitis anno 1599. elaboratum comprobarat, ubi Molinæ doctrina multo obducta fuco, uti Fidei Catholicæ teſſera vulgabatur, Thomiſtica verò atro ſignata lapillo, uti Calviniana traducebatur, ſubſcribunt Cenſores Theologi, numero quatuor, in hunc modum: VI.

*Paulus Heukirchius Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor, & Rector.*

*Joannes Klein Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor, & hoc tempore Decanus.*

*Michael Pollet Doctor Sacræ Theologiæ.*

*Joannes Gerottus Sacræ Theologiæ Profeſſor.*

Omnes illi Jeſuiticæ Profeſſionis titulum de induſtriâ ſilent, ut illudant: tametſi illos omnes Societatis viros eſſe neceſſe ſit, à quibus duntaxat in Academia Græcenſi Rectoris, & Profeſſorum munia obiri poſſunt.

Eadem calliditate ſe muniunt Muſſipontanæ Academiæ Theologi octo, qui VII.

eidem tranſmiſſo ſcripto calculos addunt, hoc ordine:

*Joannes Michaldus Rector Academiæ.*
*Chriſtophorus Broſſardus Cancellarius.*
*Joannes Uveleſius Doctor.*
*Balthaſſar Chavaſſius Doctor.*
*Joannes Caſtellarius Theologiæ Profeſſor.* *
*Joannes Bonettus Theologiæ Profeſſor.*
*Leonardus Perinus Theologiæ Profeſſor.*
*Philippus Moncæus Theologiæ Profeſſor.*

Horum nullus ſe Jeſuitam inſcribit; ſunt attamen omnes. Etenim de Rectore, Cancellario, necnon quatuor Theologiæ Profeſſoribus dubium nullum: cùm ex ipſis inſtitutæ Academiæ legibus, ſoli ad ea munia Societatis viri aſſumi poſſint. Nil quoque de Balthaſſare Chauaſſio dubitandum, quem unà cum Perino, & Moncæo Societatis Scriptoribus adnumerat Philippus Allegambe in Bibliotheca. Unus forsàn Joannes Uveleſius moveret dubium, quem nulla mihi documenta Jeſuitam probant. At quis alienæ profeſſionis hominem domeſticis Cenſoribus permixtum facilè credat?

Non

* *In Epiſtola Ieſuitarum Provinciæ Franciæ ad PP. Clementem VIII. Data Pariſiis 3. Iunii 1593. Subſcriptus habetur* Ioannes Caſtellarius Secretarius.

Non abſimilem æmulantur aſtutiam Dilinganæ Academiæ Cenſores, & ſtudioſâ Religioſæ profeſſionis diſſimulatione incautis illudunt. Ita quippe ſubſcribunt: VIII.

*Matthias Mairhofer Rector Academiæ.*
*Iulius Priſcianenſis Cancellarius.*
*Ioannes Pelecyus Profeſſor.*
*Petrus Bacherus Theologiæ Profeſſor.*
*Georgius Thederus Theologiæ Profeſſor.*
*Ioannes Saller Theologiæ Profeſſor.*

Rectorem, Cancellarium, necnon etiam quatuor Theologiæ Profeſſores, Societatis viros eſſe, ex Academiæ, quam totam, & integram Societati datam nemo neſcit, legibus conſtat. Quid etiam quòd Matthiam Mairhoferium, Iulium Priſcianenſem, Ioannem Pelecyum, Ioannem Sallerium ſuos inter Scriptores recenſet Allegambius, à me paulò ante laudatus.

Sub larva quoque deliteſcunt, & Ieſuiticum nomen ſilent Moguntinæ Academiæ Theologi penè omnes, ne cæteris ſtomachum moveant, dum de lite in Societatem intentatâ ſententiam ferunt. Sic illi edito Iudicio nomen inſcribunt: IX.

*Stephanus Umberus Epiſcopus Myſienſis, Suffraganeus Moguntinus Sacræ Theologiæ Doctor, & Facultatis ejuſdem pro tempore Decanus.*

*Ioannes Buſæus Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Ordinarius.*

*Chriſtianus Agricola DD. Petri, & Pauli Collegiatarum Eccleſiæ Moguntinæ Præpoſitus, & Decanus ſigillifer Reverendiſſimi.*

*Ioannes Muſulinius Sacræ Theologiæ Profeſſor Ordinarius.*

*Franciſcus Rapedius Sacræ Theologiæ Doctor.*

*Georgius Bademus Theologiæ Doctor, & Studiorum Præfectus.*

*Thomas Maſonius Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Ordinarius.*

*Albertus de Puteo Sacræ Theologiæ Doctor; Ædis Divi Albani extra muros Moguntinus Vicarius.*

*Petrus Vvindus Sacræ Theologiæ Profeſſor Ordinarius.*

*Nicolaus Serrarius Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Ordinarius.*

Septem illìc Societatis Actores in ſcenam veniunt, qui depoſita Sodalitii veſte, Thomiſticæ ſcholæ doctrinam ludunt. Tribus larvam detrahit Philippus Allegambe ( quos uti Societatis viros exhibet in Bibliotheca ) nimirum Ioanni Buſæo, Ioanni Muſulinio, & Nicolao Serrario. Tres alios Paulus Leonardus in Scientiæ Mediæ defenſione pag. 36. & 47. in lucem edit, Franciſcum Rapedium,

dlum, Thomam Maſonium, Petrum, Vvindum: Studiorum præfectura Ieſuitarum Collegiis propria Georgium Bademum ſatis prodit.

Trevirenſium judicio, quo tranſmiſſam eandem ſcriptionem comprobarunt, conſedere viri è Societate numero quatuor; tametſi de induſtria nullam inter ſubſcribendum mentionem faciant, quò faciliùs imprudentibus ora ſubliniant. Chirographum apponunt hâc formâ, & ordine: X₁

*Ego Joannes Macherentinus Sacræ Theologiæ Doctor, & pro tempore Facultatis Theologicæ Decanus ſubſcripſi.*

*Similiter & ego Ambroſius Carolus Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Ordinarius, & Præfectus Studiorum.*

*Idem & ego ſentio Hadrianus Vanden Bruele Sacræ Theologiæ Doctor, ad Sanctum Simeonem Canonicus, Cathedralis Eccleſiæ Trevirenſis Rector, & pro tempore Univerſitatis Trevirenſis Rector.*

*Item & ego Iacobus Fiſcherus Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus, & Cantor Sanctæ Mariæ Relatiolenſis.*

*Similiter & ego Petrus Roſſembam Collegii Rector.*

*Similiter & ego Conrardus Hungerus Sacræ Theologiæ Profeſſor,*

Ex his Mácherentinus ſuum inter Societatis Scriptores in Bibliotheca locum obtinet. Ambroſium Carolum, & Conrardum Hungerum Ieſuitas probat publica Theologiæ profeſſio, uni Socìetati aſſerta in Academia Trevirenſi. Petrus Roſſembam Collegii Rector plus ſatis ex titulo noſcitur.

XI. Succedunt Uvirceburgenſis, ſeu Herbipolenſis Academiæ Cenſores, qui ſcripto tranſmiſſo approbationis calculum addidere, ſub hàc formâ:

*Eucharius Sacræ Theologiæ Doctor, & Ordinarius Profeſſor, ac ejuſdem Facultatis pro tempore Decanus.*

*Petrus Thyræus Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Ordinarius.*

*Martinus Becanus Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Ordinarius.*

*Ioannes Pernotus.*

*Germanus Sandorpius Studiorum Præfectus.*

Uno excepto Euchario, latent ſub larva Ieſuitæ Senatores, & de gravi ſupercilio in partem adverſam virgam exerunt.

XII. Veniunt in cenſum Ingolſtadienſis Academiæ Profeſſores, quibus ita ſubſcribere libuit:

*Petrus Stevartius, Academiæ Ingolſtadienſis Profeſſor Theologus, & pro tempore Rector.* Al-

*Albertus Hungerus ejuſdem Academiæ Profeſſor Theologus, & Pro cancellarius.*

*Michael Eiſelin Theologiæ Profeſſor, & hoc tempore Decanus.*

*Ioannes Ripelius Sacræ Theologiæ Doctor, ejuſdemque in dicta Univerſitate Profeſſor.*

*Iacobus Gretſerus Sacræ Theologiæ Profeſſor.*

Quot illìc tacitâ in Chirographis profeſſione Ieſuitæ ſubſcribant, non ita facilè deſinierim. Equidem de Michaele Eiſelino, & Iacobo Gretſero dubium nullum, quos Societatis Scriptoribus Allegambius adnumerat. Petrum Stevartium Societati fuiſſe addictiſſimum probat *Apologia pro Societate Ieſu* ab illo conſcripta, editaq; Coloniæ anno 1594. At nec hunc, nec Hungerum Societati adſcriptos tunc temporis, aut poſtmodum fuiſſe, certiſſimum eſt. De uno igitur Ripelio nihil quod in medium afferam modo ſuppetit: nec multum intereſt. Hæc interim, donec alia ſuccurrant.

Claudit agmen Academia Viennenſis, cujus judicio ita ſubſcriptum eſt: XIII.

*Ioannes Pollinger Sacræ Theologiæ Doctor, & pro tempore Academiæ Viennenſis Rector.*

*Melchior Chelſt Epiſcopatus Novæ-Civitatis Adminiſtrator, nec non Academiæ Viennenſis Cancellarius.*

*Ioannes Montanus Mollenſis Sacræ Theologiæ Doctor, ac ejusdem in Academia Profeſſor, & pro tempore Facultatis Theologicæ Decanus.*

*Ioannes Pampelius Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor primarius, Canonicus Viennenſis.*

*Balthaſar Scultetus Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus, Cuſtos Cathedralis Eccleſiæ, nec non Curiæ Epiſcopalis Viennenſis Officialis, & Vicarius Generalis.*

*Laurentius Bruyckejus Bonſamus Sac. Theologiæ Doctor, & ejusdem Profeſſor in eadem Academia.*

Hos inter, Ioannem Montanum, & Laurentium Bruyckejum Societatis Profeſſores habes: quod illi inter ſubſcribendum de induſtriâ ſilent, ne domeſticæ cauſæ judicium affectare deprehendantur. De Ioanne Pollingero dubium mihi.

XIV. Univerſis igitur in ſummam deductis Germanicarum Academiarum Theologis quinquaginta, qui tranſmiſſum Societatis ſcriptum communibus ſuffragiis comprobarunt, quadraginta circiter numerare licet Societatis Profeſſores, qui cæteris pauculis immixti,

de

de domeſtica lite pronunciant, ſibi ipſis cauſam adjudicant, partem adverſam Cenſuris inurunt: atque id quidem diſſimulata in chirographis Ieſuitica profeſſione: adeò illos arrepti judicii conſcientia mordebat; metus erat ne palàm à viris iuris, & æqui amantibus exſibilarentur, ſi detracta larva ſententiam pronunciaſſent.

Quis id bona fide factum obtendat; & Ieſuitæ titulum à Viris tam multis conſtanter, atque inviolatè in Chirographis prætermiſſum effutiat, ſine arte, ſine dolo? An non veriùs id totum de induſtria machinatum, ut & pudori conſulerent, & lato judicio authoritatem conciliarent; quod ſine dubio flocci faciendum noverant, ſi à viris in cauſam venientibus datum, ex ipſis ſubſcriptionibus innotuiſſet.

Immitem igitur virgam exerceat Syndicus Trevirenſis, meque pro ingenita charitate mille conviciis oneret, quòd ea Germanicarum Academiarum judicia rejecerim, ſeu quòd *in iis Ieſuitæ*, ut ajebam) *dominarentur*; ſeu quòd *privata illorum induſtria* moverentur univerſa; me mitiùs locutum dicent æqui rerum æſtimatores: juſtamque exceptionem à me datam fatebuntur, qui præcepta juris, vel ipſis extremis labris attigerint.

Neque

XV. Neque verò mortalium primus eo nomine adverſùs illas Academias excèpi. Excèpit ante me, datoque libello expoſtulavit coram Clemente VIII. Univerſus Prædicatorum Ordo, anno 1600. quo primùm tempore circumferri Romæ cœpit ſcriptum à decem Ieſuitis elaboratum, Germanicarum Academiarum ſuffragiis communitum: variæque Theſium laſciniæ undequaque congeſtæ, quibus Moliniana dogmata inſcripta fuerant, à Sociis in cauſæ patrocinium evulgatæ. Do libellum integrum, non eo conſilio, ut Prædicatorum authoritatem Germanicis Societatis Ieſu Academiis opponam (ne quod in aliis damno vitium admittam) ſed ut intelligat Syndicus Trevirenſis, facinus non eſſe morte piandum, quod ab univerſo Prædicatorum Ordine, ſub ipſius Summi Pontificis oculis, ac probantibus etiam Romanis Cenſoribus, actum eſt:

BEATISSIME PATER.

*Extat in Bibliotb. Angel. in Miſcellan. Nu.18.*

„ FRatres Prædicatores nihil aliud
„ unquam in ſuis Controverſiis
„ quærentes, quàm ſinceram, Catho-
„ licamque veritatem, circa Divinæ
„ Gratiæ efficaciam, non tollentem,
„ ſed conſervantem, perficientem, at-

que

„ que roborantem humani arbitrii li-
„ bertatem, etiam in Commentariis,
„ quæ ad Summam Sancti Thomæ ad-
„ diderunt, & in publicis Lectionibus,
„ quas in Studiis generalibus, & multis
„ Univerſitatibus habuerunt, & in
„ Apologiâ, quam ad Mandatum San-
„ cti Officii in Hiſpaniis, eiusdem San-
„ cti Officii Præſidentibus obtulerunt,
„ & denique in ſcriptis, quæ (dum hu-
„ juſcemodi ex præcepto Sanctitatis
„ Veſtræ in Urbe tractantur) Illuſtriſ-
„ ſimis Cardinalibus, & demùm Veſtræ
„ Sanctitati dederunt, ita clarè, & ma-
„ nifeſtè ſe arbitrantur oſtendiſſe, ſuam
„ in prædicta materia ſententiam ean-
„ dem penitus eſſe cum ſententia SS.
„ Auguſtini, & Thomæ, & cum defini-
„ tionibus Conciliorum Arauſicani,
„ Milevitani, & Tridentini, ut nullus
„ eis videatur, vel dubitandi quidem
„ ſupereſſe locus. Verùm non aliundè
„ id ipſum omninò efficiendum exiſti-
„ marunt, quàm ex ipſorum Concilio-
„ rum ſanctionibus, & nominatorum
„ Patrum verbis manifeſtiſſimis.

„ Et quamvìs id præſtantes pro rei
„ veritate, & Illuſtriſſimis Cardinali-
„ bus, & Sanctitatis veſtræ pietati ſatis
„ ſe feciſſe exiſtimaſſent: quàm tamen
„ communiter ſententia hæc in Eccleſia
rece-

„ recepta ſit, & approbata, & pluri„ morum Sanctorum Patrum, & anti„ quorum Scholaſticorum, quorum au„ thoritas apud pios, doctos, & Catho„ licos ſemper prævaluit, verbis clariſ„ ſimis demonſtrarunt. Quam ſanè an„ tiquam veritatem, ac proindè tutiſ„ ſimam diebus iſtis, omninò ample„ ctuntur Salmanticenſis Academia, „ inter omnes Hiſpaniæ primaria, & „ Lovanienſis florentiſſima, & plurimi „ Antiſtites, pietate, & doctrina inſi„ gniores, aliique celeberrimi Docto„ res; quorum ſubſcriptiones Sanctum „ in Hiſpania Officium pridem habuit, „ & magnifecit: quæ omnia ad pedes „ ſuos Sanctitas Veſtra tranſmiſſa vi-

*Nota.* „ dit. Quid verò aliæ inferioris notæ „ Academiæ in Germania, Auſtria, & „ cæteræ, quæ in Scripto recenſentur, „ fortaſſe ſenſerint, aut ſentiant, ne„ minem movere debet. Noverit enim „ Sanctitas Veſtra RR. iſtos Patres me„ moratis Academiis ita præeſſe, ut „ meritò dici poſſit, nihil ferè aliud „ Academias illas ſibi velle, quàm eo„ rumdem Patrum ipſiſſima Collegia.

„ Probabilitatem, quam unam Patres „ Societatis ſtudio habuiſſe ſemper viſi „ ſunt, minimè curaverunt: quippè qui „ nunquam de probabilitate, ſed de ve-

ritate,

„ ritate, & firmitate doctrinæ egerint,
„ ac proindè veræ doctrinæ definitio-
„ nem à Sanctitate Veſtra ſupplices
„ ſemper rogarint, ac rogent: negotii
„ huius protractionem, ac utriuſque
„ partis de hac ſententia libertatem,
„ quam Patres Societatis modis omni-
„ bus quærunt, æquo animo ferre non
„ valentes, tanquàm videlicet rem ma-
„ ximè pernicioſam.

„ Et quidem FF. Prædicatores audie-
„ runt, aliquarum Religionum Iuvenes
„ circa hanc materiam diſputantes, in-
„ genia exercentes, & fortè plus æquo
„ audentes, chartulas impreſſas, parie-
„ tibus, & Eccleſiarum valvis affixas,
„ in quibus diſputandæ erant digeſtæ
„ Theſes, conſpexerunt. ſed uti illorum
„ auſus neglexerunt, ita has colligere,
„ ut inde argumentum aliquod hauri-
„ rent, rem omninò ridiculam arbitrati
„ ſunt. Neque enim FF. ipſis Prædica-
„ toribus hæc, & multa id genus defuiſ-
„ ſent ſi ullius unquam momenti exiſti-
„ maſſent.

„ Neque valdè curandum eſt, quod
„ Iuvenes illi, ſub quorumdam Viro-
„ rum inſignium auſpiciis, Concluſio-
„ nes illas ſuſceperint diſputandas:
„ quandoquidem, vel qui diſputatio-
„ nibus illis præfuerunt, non eandem
quam

„ quam diſcipuli amplectebantur ſen-
„ tentiam, ſed ingenii eorumdem Iu-
„ venum exercendi gratiâ, in re, quæ
„ adhuc ſub judice poſita videbatur, &
„ & in utramque partem diſputationi
„ permiſſa, illis id conceſſerunt: vel ut
„ oppoſita ſententia apud minùs eru-
„ ditos ſaltem probabilis fieret, hæc ab
„ iis, quorum multos fortè auditores
„ olim habuerant, pro ſua induſtriâ
„ aliqui exegerunt. Quod ſi doctiori-
„ bus illis, in hujuſmodi diſcipulorum
„ congreſſibus, cum FF. Prædicatori-
„ bus, in locis, quæ in ſcripto notan-
„ tur, agendum fuit, qualem victoriam
„ reportaverint, teſtes ſunt qui adfue-
„ runt.

XVI. Dixi Romanos Cenſores Fratrum Prædicatorum contra Germaniæ Academias exceptionem approbaſſe: nec temerè. Clariſſimus quippè Boſſutius Cognitorum unus, cui poſt annos ali-
1606. quot Paulus V. Scripti ab decem Ieſuitis elaborati examen demandavit, eas Academiarum ſubſcriptiones judicio Cenſorio diſpungens, id ſtatim initio ponit: *Patrum Societatis, qui numerantur inter alios ſubſcribentes, ſuſpecta ſunt teſti-monia, quæ de ſe ipſis perbibent, in actione contra illos intentata.* Et multis interjectis, de Academiâ Muſſipontanâ diſſe-
rens:

rens: *Certum eſt*, inquit, *non eſſe niſi in manu Patrum Societatis. Ex his autem videmus, illos nimis dilatare philacteria ſua, & fimbrias magnificare*: dum ſcilicet illarum Academiarum ſuffragia oſtentabant. Sed de Boſſutii ſuffragio Cenſorio in additis ad Hiſtoriam plura dedimus.

## CAPUT III.

*Nonnullis Germaniæ Academiis obſcuritas nominis citra invidiam objecta, Belgicarum præſertim comparatione.*

NIhil æquè, in noſtra Congregationum Hiſtoria, Syndico Trevirenſi ſtomachum movit, quàm objecta ſuæ, aliiſque nonnullis Germaniæ Academiis obſcuritas nominis. Quarè ut claritudinem ſuis vindicet, Herculis cothurnum induit. Nonnullos vetuſtæ nobilitatis viros imitatur, qui à priſtina Majorum gloria devoluti, pannoſi, laceri, atque ad incitas redacti, genus jactant, & inutile nomen; chartas ſitu putres excutiunt, fumoſas Majorum imagines oſtentant, milleſimum ab Atavis ramum ducunt; interea tamen deſpecti, atque inviſi riſu populum quatiunt. Trevirenſis ſcilicet Academiæ dignita- I.

tem, ab antiquitate commendat, Imperatorum privilegia memorat, viros illuſtres, quos prima tulit ætas, in cenſum vocat. *Nam quod obſcuritatem nominis objicit*, inquit ille, *in clariſſima luce cæcutire ſe probat, quam Flavius Criſpus Conſtantini Magni filius, quam Gratianus, & Valentinianus ſecundus Imperatores ſuis ſtudiis, datiſque privilegiis; quam Lactantius Firmianus Criſpi Magiſter, Eumenius Æduus, Claudius Mamertinus, clariſſimi Rhetores ſua eloquentia, quam Medici, Poetæ innumeri ſua eruditione; quam Theologi, interque hos, qui multorum inſtar eſſe poteſt, Divus Hieronymus, proh quales, quantique viri! ſua ſapientia, doctrina, ſanctitate, vetuſtiſſimæ huic Academiæ dederunt*. Sed quid tandem? Academiam ſuam, ſub honore vetuſtæ nobilitatis hodiè laborantem ſtatim prodit lepidus Encomiaſtes: nil niſi priſtinæ gloriæ cadaver agnoſcit; utque quod in præſentia laudet, inveniat, ruinarum nobilitatem comminiſcitur. *Non is fateor*, ſubjungit è veſtigio, *hodiedùm illi ſplendor eſt, qui olim fuit, dum hæc Urbs Romanorum Imperatorum ſedes eſſet. Verùm damnoſa quid non imminuit dies! Communem rerum mortalium ſortem experti ſumus. Non tamen ne poſt tot bellorum calamitates quidem, eò prolapſi, ut obſcuritatem nominis*

*La-*

*Lavernia iſte nobis exprobare queat. Magnarum quippe rerum etiam illuſtres ruinæ ſunt.* Ita Syndicus, Præficas imitatus, quæ Majores tantum, ſe ipſas laudare non poſſunt.

Benè igitur eſt, benè prorsùs: habemus hic fatentem actorem, nec aliud volumus, & nos, quàm quod is ultrò concedit. Quam enim Germanicis Academiis nominis obſcuritatem objecimus, non aliam intelleximus, quàm quæ lapſu temporis conſecuta eſt; quæque in re literaria ſpectatur maximè, & ad deprimenda lata judicia, de quibus quæſtio vertebatur, maximè conducebat: obſcuritatem, inquam, ab exiguo Doctorum numero petitam, ab experimentorum queis eruditio tentatur levitate, à præcipiti Magiſtrorum inauguratione, à remiſſo ſtudiorum fervore, ab imminuta Auditorum frequentia; aliiſque id genus, quibus obſcurantur Academiæ, tametſi annum à poſitis fundamentis milleſimum numerent.

Academiarum claritudinem, dignitatem, ac nomen, non à Conditoribus, aut Atavis, non ab annis, aut priuilegiis, ſed à diſciplinæ ſeveritate, Doctorum eruditione, ac numero, frequentia diſcipulorum, ſtudiorum fervore petendam, Eccleſia docet; quæ quoties in-

Pontificiis Diplomatibus, aut Conciliorum ſtatutis famoſiores Orbis Academias percenſet, Pariſienſem, Salmantinam, Lovanienſem, Oxonienſem, Bononienſem &c. primo loco ponit; tametſi aut omnes, aut certè illarum aliquæ à multis inferioris ordinis Academiis, vetuſtate, & Conditorum dignitate vincantur.

II. Suæ igitur Academiæ tabulas excutiat Syndicus Trevirenſis; natales à prima Chriſtiani nominis ætate repetat; Hieronymum ejuſdem Magiſtris adnumeret; addat ſi lubet Athanaſium, eique dum Treviris ævum ageret Doctoris lauream datam effutiat; ventis illum paſci, haud ægrè feremus. At nihil interim niſi priſtinæ claritudinis fugitivam memoriam oſtentabit: nullamque Cenſuris cadente ſeculo decimo ſexto expeditis (quo tempore Academiam ſuam antiqua claritudine devolutam agnoſcit) authoritatem conciliabit. Cùm contrà Belgicæ Academiæ quarum comparatione Germanicas obſcuri nominis diximus, non longa Majorum ſerie tumentes, proximæ originis claritudinem tum maximè retinerent, dum ſuas in Leſſium, & Hamelium Cenſuras expediverunt; partaque non ita pridem doctrinæ fama cæteras vincerent, quas ſub honore vetuſtæ

tuſtæ nobilitatis laborantes, non tam laudat, quàm illarum *illuſtres*, ut fatetur, *ruinas* luget Advocatus imprudens.

Non eſſet itaque, cur tabulæ manum ſecundò admoveremus, ut, qualis à nobis objecta eſt, obſcuritas nominis demonſtretur. Obſcuritas, inquam, non avita, ſed præſens; non primigenia, ſed lapſu temporis conſecuta: quandoquidem hanc ipſam ne diffiteri quidem Metzenius auſus eſt. Immò quas nos Belgicarum duntaxat comparatione, obſcuri nominis Academias dixeramus, is nulla comparatione inſtituta, parietinas ſplendore vacuas nuncupavit. Verùm ne quis nos Actoris confeſſione nimiùm abuſos exiſtimet, ut probandæ accuſationis onere exſolveremur; de Germanicarum Academiarum fortuna, quæ decimo ſexto vertente ſeculo jactatæ fuerant, dicemus paulò diſtinctius, ut nos in Hiſtoria mitiùs locutos nemo non videat.

Abſit ut Germaniæ pudorem onerare velim: at peregrinum illum in veteri memoria eſſe oportet, qui neſciat, quæ tropica Hæreſis Lutherana inſtituerat, ubi primùm vaſtiſſimi Imperii partes occupavit. Sacrarum literarum cultores aulis ſubmoti, conſiliis ejecti, Urbibus III.

exterminati ; neglecta ſtudia, deſpecta, contemta ; Academiæ aut erroribus infectæ, aut orbatæ Magiſtris, aut diſcipulis vacuæ, aut occupatis reditibus, & latifundiis ad extrema redactæ ; ut ſolo fermè titulo obliteratæ dignitatis fugitivam umbram retinerent. Synodi Trevirenſis Oratorem audire præſtat, damna Patriæ, literarum excidium, ſcholarum jacturam facundè exſequentem, publica oratione ad Patres habita anno 1549. *Quantis, Ieſu bone, tenebris, quanta caligine obruta, & obducta videmus propemodum univerſa? Quis non deploret Studiorum puritatem à multis jam inde annis nedum neglectam, etiam contaminatam, labefactatam; condenſatiſque tenebris obumbratam? Artes, Philoſophiam, Divinasque literas non ſatis pro dignitate tractatas, quæ rectiùs tractatæ multùm profectò attuliſſent nominis, plus religioſæ, minimèque fucatæ pietatis? Quid diſſimulamus? Quin quod omnium veriſſimum fatemur? An non collapſis, ac* PROPE EXTINCTIS SCHOLIS *magnum vulnus accepit Chriſtiana Reſpublica? . . . . . Verum eſſe, quod dico ipſa res clamat, & rerum eventus confirmat. Nuſquam ferè non deſiderantur Artium, honoratiorumque Facultatum Profeſſores, in Republica quidem experti Medici, prudentes Iure conſulti, in Cathedra*

*dra & publico ſuggeſtu eximii, & candidæ Doctrinæ Theologi, in Templis Paſtores, in ſcholis probè inſtructi, & eruditi Præceptores. Unde quæſo neglectæ ſunt ſcholæ, à quibus complures annos exularunt cùm liberalia ſtudia, tum verò ſanctiſſima illa, ampliſſimaque Divinarum literarum diſciplina? Recepta eſt in ſcholas, & aliquandiu obtinuit ſpinoſa, ſenticoſa, frigida, jejuna, ac nimis infœlix illa, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ tractatio; eis nimirum in utramque aurem dormientibus, altumque ſternentibus, quorum invigilare, atque inſpicere intererat* &c.

Quis id legat, ac non ſtatim intelligat, Germanicas Academias, atque inter illas maximè Trevirenſem, priſtina claritudine devolutas ſeculo decimo ſexto, ignotaſque, longa nocte obſcuritatem nominis ſubiiſſe? Nec idcircò viro hiſtorico illius ævi res exſequenti vitio dandum, quod eam juſtæ defenſionis neceſſitate victus, leviter obſervarit. Immò quis illum mitiùs locutum non fateatur, qui quod Germanus Orator, in ſacro Gentis ſuæ conſeſſu, longa pompa, & mordaci ſermone exſecutus eſt, uno verbulo, eoque ad modeſtiam compoſito ſubindicavit?

Miſeram Germaniæ Academiarum cataſtrophen, ſcholas peſtifera lue infe-

ctas, extinctam ſtudiorum diſciplinam, neglectas literas æquè produnt Concilii Moguntini ſtatuta, ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo lata, anno 1549. è quibus pauca hæc delibabo, ex Capite 65. quod eſt *de generalibus ſtudiis inſtaurandis, & conſervandis*, unde cætera diſcere liceat. *Prudentes homines facilè perſpiciunt, & boni, ac pii jam diu queruntur interitum ſtudiorum, quæ in hac miſera perturbatione rerum, ſaltem in locis Catholicis propemodùm in univerſum perierunt: in primis Eccleſiaſtici ſtatus extirpationem, adeòque ſacro ſanctæ Religionis, ac totius Reipublicæ Chriſtianæ ruinam ſecuturam eſſe . . . . . . Hinc Comprovinciales noſtros in Domino exhortamur, & seriò commonemus, eisque pro Autboritate noſtra Metropolitica injungimus, ut omni cura, ope, & induſtria, ubique per univerſam Provinciam noſtram ſtudia præcipuè generalia inſtaurare, promovere, & conſervare ſatagant: & hanc Religioni, & publicæ tranquillitati pernicioſam neceſſitatem parentibus adimant, qui alioqui ſanctæ Religioni noſtræ benè affecti, tamen ex neglectu ſtudiorum in locis Catholicis, compelluntur filios ſuos ad alias Univerſitates, & ſcholas ablegare, ubi unà cum literis noxias de Religione opiniones hauriunt; quibus infecti, & perverſi domum redeuntes, ipſos plerumque parentes, ac totam ſæpè viciniam*

ciniam

*ciniam peſtilentibus opinionibus imbuunt, & ſeveritatem fidei Chriſtianæ in eis corrumpunt*. Quæ omnia plus ſatis oſtendunt, collapſas ea ætate Moguntiæ, aliiſque Catholicis Germaniæ locis publicas ſcholas; vixque ullas Academias ſubſtitiſſe veneno liberas, ac pravis de Religione opinionibus non imbutas. Hinc Synodus Colonienſis, hoc ipſo anno 1549. celebrata, ſub Adolpho Archiepiſcopo præcipuam, maximamque Decretorum partem poſuit, in ſtudiis inſtaurandis, quòd ea potiſſimùm parte laboraret.

IV. Immenſus ſim ſi ſuperioris ævi Scriptores, qui de rebus Germanicis, deque primis hæreſeos Lutheranæ initiis ſermonem habent, ad examen vocare velim: quorum una vox eſt, à Iacobo Middendorpio vice omnium expreſſa, Lutheranos, & Calviniſtas *in eam curam incubuiſſe, ut bonas literas unà cum ipſis Academiis everterent*. Lib.5. Sat erit illorum Conſilia, artes, circuitus verſipelles in depravandis Academiis, ex Nicolao Sandero percenſere, Lib.2. de Schiſmate Anglicano. Quamquam enim is, ex ſcriptionis inſtituto, ſtrages Angliæ importatas potiſſimùm exſequatur, eaſdem tamen in Germania primùm adhibitas monet; immò illinc nefarios Academia-

rum

rum corruptores adſcitos inquit, ut quod domi cœperant, in Anglia conſummarent. *Hæreticorum, qui rem Anglicanam eo tempore miniſtrabant, proxima poſt Regis infectionem, de Academiis corrumpendis cura erat; ut illis Religionis, & diſciplinarum fontibus infectis, faciliùs in Univerſam Rempublicam manaret lues: & in illa gente præ cæteris multis referre ſolet in utramque partem plurimum quomodò Univerſitates ſint affectæ.... In primis igitur Regia authoritate, & nomine inſtituta eſt Univerſitatum, Collegiorumque viſitatio; in qua piorum fundatorum ſanctiſſima ad religionis ſtudiorum, ac diſciplinæ obſervantiam facta decreta Viſitatores illi abrogant; eorumque loco novas leges ad ſectam ſuam, & ad juvenilem licentiam accommodatas condunt: Catholicis Doctoribus, & Eccleſiaſticis Cathedras, ac pulpita auferunt, eaque petulantis linguæ, & blaſphemi oris juvenibus diſtribuunt. Gymnaſiorum Moderatores variis confictis calumniis oneratos, vel apertè de Fide Orthodoxa accuſatos, muneribus ſuis privant, & peſtilentiſſimos Hæreticos, qui juventutem fide, & moribus corrumpant, eorum locis ſubſtituunt.* Hæc illos ubivis authoritatem obtinebant molitos eſſe, nil dubium; quippè qui ſectæ principiis ducebantur, Academias *Antechriſti lupanaria* ſtultè arbitrati.

*Luth. Lib. de Abrog. Miſ.*

Verùm

Verùm quid in jis congerendis ludimus operam? Quandoquidem uſque adeò compertum eſt, pleraſque Germaniæ Academias Hæreticorum fraudibus, injuriis, expilationibus, à primæva dignitate excidiſſe, ut ob id unum, vertente ſeculo decimo ſexto, in diſciplinam Societati traditæ fuerint, ut vel hoc pacto erigerentur? Sic Ioannem Archiepiſcopum Trevirenſem, ad Societatis homines curam applicuiſſe ſcribit Franciſcus Sacchinus in ſuæ Societatis Hiſtoria, *ut Academiam olim celebrem, jam funditùs collapſam reſtitueret.* Lib. 4. Sic Principem Fridericum, Societatis Patres in Academiam Herbipolenſem evocaſſe monet Middendorpius Lib. 5. *Quòd Religio, & Literæ vnà ferè interiiſſent.* Sic Albertum Principem viginti Societatis Profeſſores ab Ignatio per literas poſtulaſſe, refert Orlandinus Lib. 16. Hiſtor. *Ut Ingolſtadienſem Academiam valdè collapſam reſtitueret.* Sic duos Societatis Profeſſores, in Academiam Viennenſem à Ferdinando I. adſcitos, ait Sacchinus, jam ante laudatus, Lib. 2. *Quòd plerique Doctorum eſſent dubiæ fidei.*

V. Videndum igitùr in præſentia, num quæ à prima claritudine deciderant Academiæ, dum vertente ſeculo decimo

decimo ſexto Societati in diſciplinam datæ ſunt, ut ejus cura reſarcirentur, novorum Moderatorum ope è tenebris tandem emerſerint, priſtinumque ſplendorem acceperint; ut abſque verbi invidia obſcuritas nominis à nupero Congregationum Hiſtorico jiſdem objici non potuerit.

Non emerſiſſe fidenter pronuncio; aut certè non ita caput exeruiſſe, ut florenti Studiorum diſciplina, Doctorum numero, experimentorum difficultate, auditorum frequentia, inter celebres Europæ Academias cenſerentur: immò potiùs ita deinceps ſub novis Moderatoribus peſſum iviſſe, ſtudiorumque diſciplinam laxaſſe, ut ſeveram celebriorum Ordinum animadverſionem ſubierint. Rem dico invidiæ plenam, dico tamen, quia provocor: hincque omnes intelligent, nihil à me confictum, nihil in majus auctum, immò non pauca ſilentio prætermiſſa.

VI. Exiguas certè, atque infimi ordinis Academias, ſi Doctorum, ac Profeſſorum numerum ſpectes, evincunt publica Inſtrumenta ſuperiori capite diſpuncta, ubi totum, plerumque Theologicum Ordinem, quatuor, aut quinque Magiſtris ſtetiſſe palàm eſt; jiſque ſæpè ſæpiùs ſolius Societatis Profeſſoribus.

ribus. Qua de cauſa Iacobus Boſſutius, Congregationum de Auxiliis Cenſor æquiſſimus, in Iudicio Cenſorio ſuperiori Capite laudato, Academias illas naucifecit, eiſque Vniverſitatis nomen ægrè dedit. *Hoc ſolùm dico, me accepiſſe Patres Societatis in illis partibus aliquorum Collegiorum derelictorum ſuſcepiſſe patrocinium, & illa coboneſtaſſe nomine Univerſitatis, conſtitutis paucis Profeſſoribus, ſive ex ſua Societate, ſive ex ſuis diſcipulis.* Et paulò ſupra, in ſummam deductis octo Vniverſitatum Magiſtris, qui memoratis Inſtrumentis nomen adſcripſerunt: *Hi omnes juncti*, inquit, *ex octo Univerſitatibus, faciunt tantum quinquaginta ſuffragia. Hic autèm numerus pluſquam media parte minor eſt numero Magiſtrorum Theologiæ unius Facultatis Pariſienſis.*

VII. Lapſam penitùs, atque everſam in iiſdem Germanicis Academiis ſtudiorum diſciplinam, graduumque conferendorum facilitatem inauditam ſugillavit, non ſine ludibrio, Academia Pariſienſis, cæterarum toto Orbe caput, ac princeps, anno 1643. gallico ſcripto, cui titulum fecit: *Traittès pour la defenſe de l'Univerſitè de Paris, contre les Jeſuites*: hoc eſt, *Tractatus Apologetici Univerſitatis Pariſienſis, contra Ieſuitas.*

Maximè

Maximè verò Tractatu 1. Cap. 2. Nu. 3. ubi pramiſſa diſtinctione Academiarum in famoſas, & non famoſas, ita in Ieſuitas Pariſienſes ſtilum acuit, qui Academica jura præſumebant: *Le Concordat, & la Pragmatique ſanction ont defendu de donner aucuns degrès, qu'à ceux, qui auroient achevè leur tems d'ètude* in Vniverſitate famoſa. *Or qui ne voit, que la diſcipline eſt entièrement ruinèe, ſi les Ieſuites obtiennent nos privileges? Il faut etre bien ètranger dans les affaires des autres Vniverſitès, pour ne pas ſavoir, qu'il n'y a plus de diſcipline dans tous les lieux, où ils ont eſtè admis. Les Docteurs ſ'y forment tout en un jour: & ces fruits hatifs ſont voir, qu'ils ont trouvè l'art de produire des potirons, dans les arts, & dans les ſciences. Ce long, & penible chemin des Lettres, qui dècourage les làches, & les timides, ne doit plus etre une obſtacle, depuis qu'ils l'ont racourci. La delicateſſe eſt devenùe compatible avec la doctrine: & ce qui ſ'achettoit* [illegible]*it avec des ſueurs importunes, ſ'acquiert par le ſeul reſpect, que l'on porte à cette merveilleuſe Societè.* Quod ita latinè dicas „ Per Concordata, & Pragmaticam ſanctionem, cautum eſt, ne iis „ gradus conferantur, qui ſtudia non „ conſummarint in Vniverſitate famoſa. Iam quis non videat diſciplinam illam

„ illam everſum iri, ſi Ieſuitæ in privi-
„ legiorum noſtrorum poſſeſſionem ve-
„ niant? Peregrinum illum in aliarum
„ Academiarum Hiſtoria eſſe oportet,
„ qui neſciat, collapſam penitùs diſci-
„ plinam in ſcholis omnibus, in quas
„ demum admiſſi ſunt. Doctores illìc
„ uno die fabricantur: præcocesque in-
„ augurationum fructus plus ſatis indi-
„ cant, artem illos adinveniſſe, qua in
„ ipſis etiàm diſciplinis, ac literis fun-
„ gos edant. Longum illud aſperum
„ ſcientiarum iter, quo ſegnes, atque
„ inertes deterrentur, nullis jam im-
„ pedimento erit, quo èx tempore ab
„ jis contractum eſt. Mollities cum li-
„ teris in gratiam rediit: quòdque olìm
„ nonniſi moleſto ſudore obtinebatur,
„ ſola nunc in mirificam Societatem
„ veneratione impetratur.

Germanicas Academias à Theologis Pariſienſibus ſugillari nemo non videt, quas videlicet Ieſuitæ moderantur, ubi gradus diſpenſant, omnia nutu, atque imperio regunt: nullas enim hujuſmodi Gallia patitur. Aut certè cùm una, eademque virga feriant Academias omnes Societatis curæ commiſſas; illicque collapſam diſciplinam, Doctores uno die fabricatos, & fungorum inſtar in lucem editos irrideant; non eſt, cur ſe com-

muni

muni Cenſura perſtrictos Germani diffiteantur. Si quid tamen ſubeſſet dubii, quod ſequitur amovebit.

VIII. Præiverant Pariſienſibus Lovanienſes, nuſquàm mihi ſine laudis præfatione nominandi. Quas enim illi tacito nomine ſcholas ſugillarunt anno 1643. iſti diſtincta indicatura perſtrinxerant anno 1619. publico Inſtrumento, quo jura Academica adversùs Societatis præſumptionem tuebantur, ſub hoc titulo: *Rationes Univerſitatis anno* 1619. *ob quas etiam ex conſideratione ſtatus Societatis, concedendum non videtur, ut lectiones ejus Theologiæ valeant in ordine ad gradus:* Rem potiſſimùm exſequuntur celeberrimi Theologi Titulo 2. Num. 2. ubi plurima incommoda percenſent ex hujuſmodi conceſſione oritura „ Facultatum Academica Collegia vigorem, „ floremque ſuum perennaſſe Univerſitatum, quæ adhuc extant exempla „ teſtantur. Cùm enim præclariſſimis „ è toto mundo ingeniis, ad ea ſemper „ aditus pateat, non poſſunt in eis in„ genia deficere, quæ prædeceſſorum „ doctrinam æmula contentione peren„ nent. De Societatis Collegiis, quan„ tilla haberi poteſt experientia, nihil „ perinde ſtabile promittit. Notarunt „ multi immutatam ex nunc ſcholarum

Socie-

„ Societatis faciem, quoad diſciplinæ
„ ſeveritatem, quoad docendi metho-
„ dum. Germanicæ Vniverſitates, quas
„ Societas ſuo hoc novo modo regen-
„ das ſuſcepit, TREVIRENSIS, MO-
„ GVNTINA, MVSSIPONTANA,
„ &c. vigorem non intendunt; ſed
„ remittunt.

Audiat hæc Syndicus Trevirenſis; nec mihi jam vitio vertat, quòd Academiam ejus, & Moguntinam *obſcuri nominis* dixerim; quas ſtudiorum diſciplinam laxaſſe, Theologi Lovanienſes diſtinctè teſtantur. Ex lapſa etenim diſciplina, obſcuritatem nominis ſubeunt Academiæ; quævis tandem ex prima origine fingantur eſſe. Sint illæ à Flavio Criſpo Conſtantini Magni filio inſtitutæ; à Gratiano, & Valentiniano privilegiis auctæ; ab Hieronymis, & Athanaſiis quondàm aliàs frequentatæ; inutile nomen jactant, niſi diſciplinæ ſeveritate, ſtudiorum cultu, primævam claritudinem retinuerint.

IX. Haud aliter ſenſit Academia Cracovienſis, Poloniæ ſchola princeps anno 1627. Nullum ſuſceptæ ab Ieſuitis quarumdam Academiarum curæ fructum, exſtitiſſe ſignificavit: quin potiùs fucum feciſſe addidit, dum ſuis illis quas adibant deſertis Academiis pollicerentur,

ſtudiorum utilitatem, & claritudinem, frequentiam diſcipulorum, majorem Dei gloriam, ex ſua ipſorum adminiſtratione acceſſuram: cùm ſecùs omnia ceſſerint, & ſcholas ipſas devaſtarint. Hos illa ſenſus aperuit, data ad Academiam Lovanienſem epiſtola, die 29. Iulii anno 1627. quo tempore iisdem illuſtrandæ Academiæ Cracovienſis pollicitationibus multos alerent, aliaque multa molirentur, ut pedem in ea figerent „ Anni ſunt (ſcribebat Academia)
„ plus ſeptem, ut primùm rumoribus
„ deinceps cuniculis à Ieſuitis cœptum
„ agi, ut veſtigium aliquod ſuæ diſci-
„ plinæ Cracoviæ figerent. Species
„ concordiæ, & conſociationis primùm
„ Aulis Principum inferri, deindè in
„ vulgus ſpargi utilitas, Academiæ no-
„ ſtræ gloria, frequentia diſcipulorum
„ demonſtrari; tandem major Dei ho-
„ nor (prout illis mos eſt, ubique res
„ humanas aucupando cœlum jactare)
„ inde promanaturus crepari. Omnia
„ exterarum Academiarum exemplis
„ demonſtrari; deſertis illis ſcilicet,
„ cum Ieſuitis plauſtra honorum, &
„ incrementorum acceſſiſſe &c......
„ Nos verò quid ad hæc? Quamvis le-
„ viores titubarent, divinabamus, quod
„ ex veſtris literis demùm clariſſimè
per-

„ perſpeximus ; nulli ſcholæ hos fucos
„ benè ceſſiſſe „ . . . . . . Et poſt multa :
„ Eruditio illis apud nos adeo tenuis ,
„ ut quod de regno literario ab eis oc-
„ cupando metuitis , nobis videatur il-
„ los aliud quidpiam quærere quàm li-
„ teras , utpote quibus ad ſapientiam
„ triennium præſcriptum eſt , ad acqui-
„ rendas opes ſeculum non ſufficiat :
„ & qui animi conatus in rem litera-
„ riam convertendi eſſent , in œcono-
„ miis diſponendis , reditibus ordinan-
„ dis vix ſatis ſint. Mittamus interim
„ aniles cum levi popello occupatiun-
„ culas , ſuſurros , illectamenta mulie-
„ rum , quibus ut quiſque illorum gra-
„ phicè locutulejus eſt , totas diei ho-
„ ras impendit , iſque eloquentiæ apud
„ illos ſcopus , & terminus . Mittamus
„ conſuetudines cum Aulicis , capta-
„ tiones rumuſculorum , ſalutationes ;
„ ut quantum nobis antè formidabiles
„ eſſent nomine literarum , tantùm „
„ nunc contempti , & abjecti jaceant „
„ & brevì magis , atque magis tales fu-
„ turi , ſcilicet , qui labori , & magnis
„ illis laboris , & ſapientiæ Sacerdoti-
„ bus, Academicis, inquam, ( ſuas illas
„ ſcenicas , & plebeiæ opinionis varie-
„ tate coloratas ſcholulas erigendo )
„ ſempiternum bellum indixere . Non

„ Ariſtoteles apud illos, non Plato, „ non melioris notæ Philoſophus ſcri- „ ptorve teritur, ſed Dictionaria, Ad- „ notationum ante triginta annos con- „ ferti recentibus ineptiis Centones, „ putida Epigrammata, & quidquid ad „ inſtar alicujus pinguis, & indoctæ „ Minervæ fieri poteſt. Itaque magnam „ partem diſcipulorum ejus ſcholæ pœ- „ nitudo jure meritiſſimo ſubit, dediſſe „ operam ejuſmodi Magiſtris, quorum „ plurimi ad nos redeuntes, depoſito „ faſtu, & inaniis Ieſuiticis, ab ungui- „ culis ſe formari permittunt, & expe- „ tunt. Quòd ſi huic morbo medicinam „ non faciant viri Principes; ſi vos ce- „ lebres Academiæ, quarum illi exter- „ minium (quia illis dignitate oculos „ effoditis) quærunt, ad ſalutem com- „ munem operas non confertis, brevì „ omnis literatura melior, dicendi vis „ politior, potior Philoſophia, & „ quidquid magis nobile apud nos, „ id eſt, omnis antiquæ ſapientiæ di- „ gnitas abolebitur, immò ipſa litera- „ rum vita extinguetur; in eamque „ barbariem relabemur, in qua fui- „ mus, cum &c. „ Nec unius Acade- miæ hæc erat de Ieſuitarum ſcholis opi- nio. Superiori enim anno [1626.] in publicis Regni Comitiis hoc decretum con-

conditum eſt: *Ieſuitæ ſcholam ſuam in Urbe Cracovia claudant, & Academiæ illius loci in poſterum moleſti eſſe deſinant.* Cujus decreti condendi hanc rationem plurimæ Provinciæ, dum ſuffragium ferrent, protulerunt: *Majorum noſtrorum tempore una tantùm Cracoviæ fuit Academia. Ex ea Viri ſapientes, prudentes, honeſti, & cordati prodierunt; hodiè verò multa habemus Collegia* (Iam tunc erant Ieſuitarum quadraginta quinque Collegia) *multos magiſtros; ſed viri prudentes, docti, honeſti valde deſiderantur.*

Iiſdem de cauſis Venetiarum Senatus Auguſtus, de quo ſine aſſentationis fuco verè dicas, quod de Senatu quondam Romano, interroganti Pyrro reſpondit Cyneas: *Tot illis conſedere Reges, quot Senatores*; is, inquam, non modò Societatis Profeſſoribus in Academiam Patavinam aditum interclusit, verùm etiam Philoſophiæ, ac Theologiæ Patavii edocendæ ſpem illis ademit, ſolemni Decreto, anno 1591. Academiæ cauſam orante Cæſare Cremonino; in cujus actione hæc ad inſtitutum notanda veniunt: *Se conveniſſe, Sereniſſimo Principe, che la Republica Veneziana viveſſe ad eſſempio degli altri Principi, addurrei Pavia, Piſa, Bologna, Perugia, Ferrara, e gli altri luoghi di Studio* X.

*Plutarch. in Pyrrho.*

 (*ſalvo*

*( ſalvo Roma per intereſſi proprii di quellà Città ) dove non ſi permette altro Studio, che'l publico. E Roma appunto, poiche hò fatto menzione di lei, può eſſere un giovevole eſſempio alla Republica di Venezia: eſſendo lo Studio publico per l' introduzione de' Collegj di queſti Padri in eſſa diſtrutto aſſolutamente.* Quod ita latinè reddideris: „ Si expediret, Sereniſſime „ Princeps, Rempublicam Venetam „ ab aliis Principibus exemplum pe- „ tere, Ticinum ob oculos ponerem, „ Piſas, Bononiam, Perugium, Ferra- „ riam, cæteraque loca, ubi publica „ Studia vigent ( unâ dempta Roma „ ſingularibus rationibus adducta ) in „ quibus nullæ, præter publicam Aca- „ demiam ſcholæ permittuntur. Quan- „ doquidem autem Romæ nomen nobis „ excidit, hæc ipſa Reipublicæ Venetæ „ opportuno exemplo eſſe poteſt; cùm „ ejus omnino collapſa ſit Academia, „ quo ex tempore Societatis Collegia „ in eam admiſſa ſunt.

*Cujuſmodi Doctores humanitatis ſint Ieſuitæ.*

Hanc ipſam ex Societatis Regimine natam Studiorum jacturam novit, & indoluit Ioannes Mariana Libro de Regimine Societatis Cap. 6. „ Plerumque, „ ( inquit ) bonorum Magiſtrorum inopia laboramus: ſic ferè ſit ut illi „ biennium, aut triennium literas doceant,

„ ceant, qui nec ipſi eas didicerunt,
„ nec diſcere etiam volunt (qui ſtulto-
„ rum mos eſt) adeoque auditores ab
„ jis barbariſmos, & improprietates
„ diſcunt; quibus nunquam poſtea li-
„ berari poſſunt, ſicut etiam alia iis
„ inhærent, quæ in tenera illa ætate
„ ijs imprimuntur. Nullum eſt dubium,
„ quin hodie in Hiſpania minor Lati-
„ næ linguæ ſit notitia, quàm quinqua-
„ ginta abhinc annis fuit. Credo ergo,
„ immò verò pro certiſſimo, & explo-
„ rato habeo, unam principaliſſimam
„ damni iſtius cauſam eſſe, quoniam
„ Societas noſtra Studiorum profeſſio-
„ nem in ſe ſuſcepit. Quod ſi homines
„ benè intelligerent magnitudinem
„ damni ex iſta docendi via reſultan-
„ tis, non habeo dubium, quin per
„ publicum decretum ſcholas nobis
„ adimerent, quemadmodum jam tra-
„ ctari cœpit. Videamus quàm pro-
„ babile foret regimen hoc, ſi in aliis
„ artificiis permitteretur, ut Sarcina-
„ tores ea docerent ſub hoc colore, &
„ prætextu, quoniam illi ſint viri bo-
„ ni, à quibus novitii, ſeu Tyrones
„ virtutem diſcere queant. Neque ta-
„ men Societas prima eſt omnium Re-
„ ligioſarum familiarum, quæ hanc in
„ ſe provinciam ſuſceperit. Nam Be-

*Ieſuitarum diſciplina eſt principaliſſima cauſa hodiernę barbariei.*

*Prætextus Ieſui-*

D 4 nedi-

*tarum* ,, nedictinorum Monaſteria ſcholas pu-
*frivo-* ,, blicas fuiſſe ex Trithemii Chronicis
*lus, &* ,, conſtat. Vereor ne idem ipſum,
*ridi-* ,, quod illis, noſtris etiam ſcholis uſu-
*culus.* ,, veniant, ut nimirum nobis adiman-
,, tur, aut à nobis ultrò relinquantur.
*Quid* ,, Onus ſine dubio eſt intolerabile,
*eſt* ,, cùm tantus ſit Collegiorum nume-
*quod* ,, rus, quorum cathedræ omnes ido-
*fuit?* ,, neis Magiſtris occupari non poſſunt.
*Ipſum* ,, Antiquitus hominum ſecularium,
*quod* ,, qui Grammaticam profiterentur,
*futu-* ,, quòd omnem vitam in uno eodem
*rũ eſt.* ,, ſtudio conſumerent, alii in præce-
*Eccl.* ,, ptis excellebant, alii in poetica,
2. ,, alii in doctrinæ varietate. Iam in
*Ante* ,, Societate noſtra vix invenitur, qui
*exortos* ,, quicquam iſtorum benè ſciat. Secu-
*Ieſui-* ,, lares verò, cùm omnia loca ſibi à
*tas* ,, noſtris prærepta videant, literas
*erant* ,, iſtas, earumque profeſſionem negli-
*cõſum-* ,, gunt. Ex quo fit, ut ſi qua eveniat
*mati* ,, neceſſitas, non ſit in Hiſpania, aut
*litera-* ,, difficulter certè inveniatur, qui qua-
*rum* ,, tuor Latina verba jungere noverit.
*magi-* ,, Aliquot initæ ſunt rationes in So-
*ſtri.* ,, cietate, ut damnis ejuſmodi obvia-
,, retur. Earum una eſt Seminario-
*Falſũ* ,, rum Humanitatis inſtitutio. Haud
*mali* ,, tamen ſcio, ſatis ne magna ſit Se-
*tanti* ,, minariorum illorum utilitas, quo-
niam

,, niam Studioſi juvenes ſegniter in *reme-*
,, iſto Studiorum genere occupantur, *dium.*
,, animis in pulpito, ſeu concionandi
,, provincia, aut in Scholaſtica Theo-
,, logia defixis. Remedium malo fo- *Verum*
,, ret, ſi & pauciora ſint Collegia, ubi *Reme-*
,, Humanitatis ſtudia coluntur, & *dium.*
,, profeſſores eorum plus honorentur.
,, Nunc enim cùm videant, quo quiſ-
,, que ſit literarum humaniorum impe-
,, ritior, eo pluris illum fieri, & ad
,, officia promoveri, aut omnes, aut
,, plerique omnes abeunt ab iſta via,
,, & viam ignorantiæ, majoris fieri ſo-
,, litam, inſiſtunt. Maximæ ſanè dif-
,, ficultatis negotium eſt, ita literas
,, iſtas moderari, ut & ſufficiant, nec
,, aliis diſciplinis, quæ Societas profi-
,, tetur, impedimentum afferant.

,, Altiora ſtudia majore curâ tra- *Pauci*
,, ctantur, quamvis eorum, qui præ- *inter*
,, ſtantes in iis evadunt, exiguus ſit *Jeſui-*
,, numerus, ſi reſpiciamus ad tam ex- *tas bo-*
,, cellentia ingenia, quæ in Societatem *ni Phi*
,, recipiuntur, & ad otium, quo toto *loſo-*
,, tempore ſtudiorum gaudent. Ejus rei *phi, &*
,, cauſa eſſe debet, partim quòd locus *Theo-*
,, deſit, in quo exerceant, quod didi- *logi.*
,, cerunt, partim quòd fundamentum
,, in humanioribus literis non benè ja-
,, ctum habeant. Scholaſtica ſtudia

ſicca

Digitized by Google

„ ſiccâ ſunt, neque toti vitæ conve-
„ niunt. Et quoniam jis dediti neque
„ Sanctos Patres, neque linguas intel-
„ ligunt, ut Sacris literis poſſint in-
„ cumbere, eo fit ut aut concionibus
„ ſacris, aut otio ſe dedant.

Non erit operæ diſpendium his adnectere partem epiſtolæ, quam eodem anno ſcribebat *Almæ Salmanticenſi ſtudiorum, ac ſtudioſorum fœcundiſſimæ Matri* (ſic ipſe loquitur) *Andreas Treviſius Sereniſſimæ Infantis Medicus cubicularius*. Poſt pauca hæc habet: *Arduum certè negotium eſt, quod à Reverendis Patribus Societatis vobis & doctrinarum aſylis omnibus impendet; non ſolùm enim publicarum literarum tangit munus, ſed religionis ſpectat faſtigium. Quandoquidem bonæ literæ, ut futurum prædixit R. P. Joannes Mariana ejusdem Societatis, ab inſtitutione eorundem Patrum jam naufragium patiuntur; & infauſta jam exempla docent, quam periculoſum ſit Eccleſiaſticæ doctrinæ auctoritatem ad unius religionis furtivum, & audax arbitrium paulatim ſinere labi, quod fiet, ſi dicti Patres ſemel cunctas, vel præcipuas (ut jam ſatis tritam incœperunt calcare ſemitam) occupaverint Univerſitates.*

Subiicit nonnulla, quæ non brevitatis modò gratiâ omitto, ſed etiam ne du-

duriora, & odioſa ſectari videar, & cauſæ quam ago non omninò propria. Proſequitur hunc in modum Treviſius: *In Scholaſticis autem jam percipit mundus, cur antiquorum Patrum Eccleſiæ Doctorum non tam facilè comprobatis acquieſcant ſententiis: particulares enim cum ſummo affectu opiniones affectant: unde non ſolùm excitatis turbis ob curioſiùs agitatas diſputationes,* De gratia ſufficienti, De mentis æquivocatione, *& aliis à celeberrimarum Vniverſitatum inſtitutis ſecedere non verentur, ſed hæreticæ pravitatis damnatos libros, ut Patris Franciſci Garaſſi Summam Theologicam, malè etiam citatis ſacræ Scripturæ locis ſuffultam, aliiſque erroribus refertam, ex ſuo gremio in publicum prodire paſſi fuerint. Quibus incumbentibus malis occurri poſſe aptè non videtur, niſi ipſarum Vniverſitatum robur, atque dignitas, quæ Epiſcoporum authoritate continentur, contra omnes novatores adſerventur; ut Apoſtolicam, ſi quidem à verè Patribus excultam ſinceritatem, nonnulli, & aliquando ipſi etiam Societatis Patres doctiores, videri percupiunt, unde facilis in temeritatem prolapſio. Claudicat enim ſacra doctrina ſi ab acri quovis tantùm ingenio ducatur. Jam igitur tempus eſt, ut Epiſcopi ſuas colligant Apoſtolicas in adminiſtrando rationes, & Vniverſitates,*

*tates, & juſtam induant ſeveritatem, quò tantæ Societati, communi conſenſu obſiſtere valeant.*

XI. Dictis colophonem apponet Prædicatorum Ordinis ſupplicatio, Clementi VIII. anno 1600. facta, quam nos ſuperiori Capite integram adſcripſimus. Germanicas illas ſcholas, quarum Judicia Molinæ vindices oſtentabant, *inferioris notæ Academias* nuncupat Religioſus Ordo, quarum *Cenſuræ neminem movere debeant*; ob id maximè, quòd à Societatis Profeſſoribus occupentur; nec tamen, quod ſciam, ullius unquàm invidiam ſubiit; tametſi de jis minus altè ſenſiſſet. *Quid verò aliæ inferioris notæ Academiæ, in Germania, Auſtria, & cateræ, quæ in ſcripto recenſentur, fortaſsè ſenſerint, aut ſentiant, neminem movere debet. Noverit enim Sanctitas Veſtra, Reverendos iſtos Patres memoratis Academiis ita præeſſe, ut meritò dici poſſit, nihil ferè aliud Academias illas ſibi velle, quàm eorumdem Patrum ipſiſſima Collegia.*

Nihil itaque dubitandum Germanicas Academias, Hæreticorum artibus, ſtrophis, expilationibus vaſtatas, funditùſque collapſas ſeculo decimo ſexto, ac tum Societati attributas, ut ejus curâ erigerentur, non ita feliciter emerſiſſe, ut quam priſtinæ claritudinis jacturam fece-

fecerant, novorum Moderatorum ope reſarcirent. Fuerant illa quidem piiſſimorum Principum vota, qui eos ad ſcholarum regimen adſciverant: verùm an votis facta reſponderint, an non potiùs ſpes illa decoxerit, quæ diximus hactenùs ſatis probant.

## CAPUT IV.

*Academiæ Trevirenſis, & Moguntinæ Judicium contra Cenſuram Lovanienſem anno* 1588. *pronunciatum, à nupero Congregationum Hiſtorico*, leve, atque elumbe *meritò dictum.*

HActenùs de octo Germanicis Academiis in commune diximus: jam de Trevirenſi, & Moguntinâ paulò diſtinctiùs diſſerendum; quòd ex ſingulari præ cæteris ratione in hanc ſeſe de Divinis Auxiliis litem intulerint, Leſſii, & Hamelii patrocinio ſuſcepto, & in Theologos Lovanienſes, à quibus inuſti fuerant, diſtrictâ Cenſurâ. Harum in meritiſſimos Theologos judicium pronunciatum, *leve* diximus, *& elumbe* Lib. I. Hiſt. Cap. 3. nonnullaque levitatis argumenta, obiter, ac velut in tranſcurſu exſecuti ſumus. Id in invidiam trahit Syndicus Trevirenſis, nos- I.

que

que ea de cauſa cynicâ licentiâ defriçat. Juſtène an injuria, perpendamus.

Ac primò quidem, ex dictis hactenùs præiudicata res eſt. Qui enim judicium ipſo jure nullum, *leve* dixerit, & *elumbe*, is certè non ad invidiam, ſed ad gratiam locutus videbitur æquis rerum æſtimatoribus, qui deterioris ſortis eſſe norunt, judicium jure nullum, judicio *levi*, atque *elumbi*. Id porrò Capite 2. hujuſce noſtræ opellæ plus ſatis oſtenſum eſt; judicium nempè à Germanicis Academiis, in Cauſa de Divinæ Gratiæ Auxiliis pronunciatum, vel ex ſolâ Judicum conditione pro nullo habendum, cùm illic in propriâ causâ Societas, cujus imperio Academiæ illæ reguntur, pronunciarit, ac ſibi ius dixerit. Et verò quam in aliis judiciis affectatam calliditatem deprehendimus Capite 2. eandem in hocce Trevirenſium judicio obſervamus; quinque ſcilicet Societatis Profeſſores unà cum aliis tribus Cenſuram expedientes, tacitâ in chirographis profeſſione, ut ſuam commodiùs ſcenam luderent: Petrum Pollium Academiæ Decanum, Joannem Gibbonum, Joannem Macherentinum, Ambroſium Carolum, & Hermannum Sandorpium.

Eamdem judicii levitatem æquè colligas,

ligas, ex nominis obſcuritate, quam nullâ verbi invidiâ iiſdem Academiis objectam oſtendimus Capite præcedenti: præſertim cum ex Judicis majeſtate judicio pondus accedat. Hinc à Caramuele ſapienter obſervatum, nonnullarum Academiarum judicia nauci facienda, ac ne cum unius quidem viri docti opinione conferenda; vel ob id unum, quòd nominis claritudinem, ob lapſam ſtudiorum, & Graduum diſciplinam, jam dudum amiſerint.

*In Theol. fund. fund. 7.*

Sed & ipſos Societatis Oratores, qui publicam cauſam, in alterâ mox enata de Divinis Auxiliis controverſia, adversùs FF. Prædicatores, coram Apoſtolica Sede tuebantur, hoc idem Trevirenſium, & Moguntinorum judicium *leve* admodùm, atque *elumbe* habuiſſe, compertum eſt. Cùm enim identidem à Dominicanis Actoribus Belgicarum Cenſurarum authoritate premerentur, alia illi diverticula ſubibant, ut illarum vim, ac pondus eluderent; nuſpiam tamen contrarias Trevirenſium, & Moguntinorum Cenſuras opponebant: quod tamen è re ipſorum maximè videbatur, ut clavum in illis rerum ſuarum anguſtiis clavo truderent. Id in publicis congreſſibus coram Clem. VIII. celebratis videre fuit. Lovanienſis Cen-

ſuræ

5. ſuræ authoritatem urgebat Dominica-
*Maii* nus Interlocutor: ſilentium illis à Six-
1603. to V. impoſitum reponebat Molinianus
22. Orator: quod ille reſponſum nullo ne-
*Mar-* gotio occupabat, indictum ſilentium in-
*tii* quiens, translata ad ſupremum Tribu-
1604. nal, non judicata cauſa: atque idcircò nihil authoritatis Cenſuræ detractum. Quid ni feliciùs ſuum illud Trevirenſium, & Moguntinorum judicium, contra Cenſuram Lovanienſem ex inſtituto pronunciatum, Dominicano Actori in os obtruſiſſet, niſi leve nimis, atque elumbe reputaſſet, quàm ut domeſticam cauſam eo ſuffragio tueretur; pudorque fuiſſet, judicium ab ipſis Societatis Profeſſoribus latum in Societatis doctrinæ patrocinium oſtentare? Nihil quippè occurrere poterat inſtituto accommodatius; quo Prædicatorum Actorem Belgicas Cenſuras confidenter efferentem retunderet, ſi quid Moguntinorum, & Trevirenſium Judicio authoritatis ineſſe exiſtimaſſet.

II. Verùm minùs hæc in Hiſtoria morabar, tametſi refractariolis ingeniis revincendis abundè ſufficiant: quippè qui Cenſuras Treviris, & Moguntiæ latas non ex ipſa Cenſorum conditione *leves, atque elumbes* vocitabam, ne tantam illis conflarem invidiam, ſed Belgicarum

Cenſu-

Cenſurarum comparatione, ſpectatiſque momentis, queis aſſerta ſua communiverant. Cùm enim, inquiebam, Theologi Lovanienſes, ac Duacenſes ſcripturarum, Conciliorum, ac Patrum oracula magno numero congeſſiſſent; Trevirenſes, & Moguntini, ne vel uno ſubindicato, quo Belgas deluſos oſtenderent, ſententiam dictatorio more pronunciabant: ipſe dixit, Digito compeſce labellum. Quis ergò non videat, quàm nullam cauſam habuerit excandeſcendi Syndicus Trevirenſis? Reclamat nihilominus in vulgatâ Querelâ, nec ſine morſu: *O hominem, inquit, ſolo tantùm nomine candidum, cæterà nigerrimum! Nequiter enim cauſam abſcondit, cur Facultas Theologica Trevirenſis nudum duntaxat judicium in re nota tulerit, nullis additis rationibus. Nolebat nimirùm dicta Facultas actum agere; quòd Patres Societatis Lovanienſes, quorum cauſam defendendam ſuſceperat, novi nihil protuliſſent, quod non aliis in locis, etiam Romæ, coram ipſo, ad quem potiſſimùm Cenſuræ ejuſmodi pertinent, Pontifice doceretur.* Non maledicta, Clariſſime Syndice, ſed tuam tibi figuram reddo. O hominem ſolâ audaciâ facundum, cæterà verò vaferrimum! Aſtutè enim Controverſiæ ſtatum abſcondit, de qua judi-

 cium

cium tulerat Academia Trevirenſis. Societatis ſiquidem Profeſſores erroris notaverant Theologi Lovanienſes, quòd nova procuderent, Pelagianum errorem inſtaurarent, à Majorum ſemitis abſcederent, & ab ipſa, quam non ita pridem Lovanii docuerat Bellarminus, doctrinâ deflecterent. Non id ergo compertum erat, ſed veriùs in controverſiam vocabatur, an Societatis Theologi nil novi protuliſſent, quod non aliis in locis, ac Romæ ſub ipſis Pontificum oculis doceretur. Quiſquis ergo hoc idem, uti rem notam, atque compertam ſupponit, eaque de causâ, à proferendis lati judicii momentis, Academiam jure, ac merito temperaſſe ait, in culpam ne tyroni quidem condonandam incurrit; quippè qui contra dialecticæ leges idipſum certò ſupponit, quod in Controverſiam vocabatur. Certè Leſſium novi aliquid Lovanii procudiſſe, quod Romæ ſub ipſis Pontificis oculis non doceretur, probat Henricus Henriques, Societatis Theologus non ignobilis; qui eum ob excitatum in Academia Lovanienſi grave ſcandalum, ſeveram Sixti V. Summi Pontificis animadverſionem ſubiiſſe profitetur, Lib. de ultimo fine Cap. 12. Qua de re plura diximus Lib. I. Hiſtor. Cap. 4.

Minùs

Minùs fortè à vero abiret Syndicus noſter, ſi Academiam ſuam, ſententiam nullis momentis communitam pronunciaſſe diceret, pro ea quæ Academiis ineſt de doctrinâ cenſendi poteſtate, quæ ſola dictis fidem conciliet. At & id perperàm. Etſi enim ita plerumque Academiæ pronuncient, dum in eos cenſuras expediunt, in quos dictatoriam authoritatem exercent, minùs tamen nominis dignitatem ſuſtinerent, ſi jejuna de controverſiis inter liberos, & altioris dignitatis homines enatis, judicia ferrent; ubi non tam Cenſuras expediunt, quàm Theologicas inſtitutiones adornant.

III. Quamquàm quid iſta perſequor? Sit ita ut lubet, ut libet; & Theologis Trevirenſibus dictatoriam in Lovanienſes authoritatem exercere licuerit; ſatiſque fuerit, Αὐτὸς ἔφα, ut quid mihi vitio datur, quòd judicium rationibus jejunum, brevi pagella contentum, *leve, atque elumbe* vocitarim, alterius comparatione judicii, à ſupremi ordinis Academiâ dati, & congeſtis propemodùm infinitis Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum oraculis communiti? Atque id quidē, ubi ad domeſticæ ſcholæ defenſionem loquor, & apologeticâ Belgicarum Cenſurarum Hiſtoriam adorno.

Mira certè res, & cachinnis omnibus digna! Cenſuras non paucas prò variâ conditione temporum in Societatem, ejusve privatos Scriptores expedivit Theologiæ Facultas Pariſienſis, cæterarum toto orbe Mater, & Caput. Quale de Jeſuitis judicium tulerit anno 1554. norunt omnes, nec ego obductam illius cicatricem refricare velim. Sed anno 1626. die 4. Aprilis Antonium Santarellum gravi cenſura notavit, quam peculiari Decreto tabulis ſuis inſcribendam, & quotannis publicè legendam ſanxit Academia univerſa 20. ejusdem menſis. Illius exemplo ejusdem Santarelli librum, proſcripſere eodem anno Academiæ Gallicæ Cadomenſis, Remenſis, Tholoſana, Burdegalenſis, Pictavienſis, Valentina, Bituricenſis &c. Ejusdem anni menſe Septembri Franciſci Garaſſi Summam Theologicam confixit. Non paucos de Sacramento Confirmationis errores ab Angliæ Sociis procuſſos Cenſorio ſtigmate inuſſit anno 1531. Stephani Baunii Summam de peccatis proſcripſit anno 1641. famoſam Caſuiſtarum Apologiam gallicè ſcriptam à Jeſuita Piroto feriit anno 1659. Matthæum De Moïa, ſub Amedæi Guimenii larva latitantem, cenſorio mucrone per-

percuſſit anno 1665. Propoſitiones plures Gobiani, Comitis, Dezii, de Religione, & Cultu Sinenſium reprobavit anno ſuperiori 1700. Quid interim Societatis Profeſſores? Certant pro aris, ac focis, etiam ſub Gallico cælo; ſuam inuſtis Sodalibus advocationem accommodant, congeſtis magnâ mole libris, & ſcriptionibus; in iis ſales omnes advocant, ut Academiarum Principem, ejusque Cenſuras ludant; Sorbonæ judicia flocci facienda, nullius authoritatis, ac roboris habenda, Sequanam non tranſire, à viris livore percitis cudi, malo genio, animisque in tranſverſum actis fabricari aiunt: *Celebre olim Sorbonæ nomen fuiſſe, judiciumque in pretio habitum, poſtea paulatim illius authoritatem viluiſſe, eruditione deſtitui, ſcatere calumniis, FAECEM ESSE CELEBRIS ACADEMIAE, INANIA CENSURARUM NOMINA* Cleri Anglicani Proceres *ambiiſſe, cui ſolida defenſionum præſidia non ſuppetebant: luce palàm convictos fumum Orbi vendere, quo lucem eriperent, ne victi viderentur*; etiam iis duriora congerunt, quæ vel referre pudor eſſet; capita omnium cultu reverenda immodico ſale defricant, ſacrosque conſeſſus jocum, ludumque faciunt: atque id ſibi licitum putant viri boni,

*Jeſuitæ Angli contra Cenſurā Pariſienſis Facultatis.*

juſto defenſionis titulo, ut repungant, & Principis Academiæ, cujus Cenſuris inuſti ſunt, authoritatem imminuant; quamquàm ſe alieni juris, ac fori obtendere omninò non poſſint. Et tamen, ſi ſuperis placet, me Syndicus Trevirenſis, Societatis Procurator, ingentis piaculi reum agit, quòd alieni ſoli, & inferioris ordinis Academiæ judicium, in Theologicum Ordinem eruditionis famâ præſtantem pronunciatum, *leve*, dixerim, *& elumbe!* Proh ſuperi mites animos! Quid quòd Belgicas Cenſuras mille conviciis onerant: has malo in Societatem animo fabricatas, ab Eccleſiâ confixas, Janſeniano, & Calviniano errore reſperſas, libris ſuis, ac prælectionibus dictitant: & id quidem, ut ſibi videntur, æquo iure. Mihi verò vitio vertit Molinianus Actor, facinuſque putat morte luendum, quòd Trevirenſibus, & Moguntinis Dictatoribus ſponte faſces non ſubmiſerim, & Cenſurarum levitatem objecerim. *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum.* Quod ſi illas *inania*
*Prov. 20.* *Cenſurarum nomina* appellaſſem, *ab iis expetita, quibus ſolida defenſionum præſidia non ſuppeterent; qui palàm convicti ſumum Orbi venderent, ne victi viderentur;* qui *fæcem obſcuri nominis Academiarum*

*miarum ſperarent magni eſſe faciendam?* Nemo profectò eſſet, qui hæc in Jeſuiticas illas Academias meliùs conjecta non fateretur, quàm in celeberrimam toto orbe Chriſtiano Pariſienſem Facultatem. Sed nil ego hujusmodi.

Alteram objectæ levitatis rationem adjeceram: quòd ne Belgicas quidem Cenſuras legiſſent, quo eas tempore ſugillaverant. Cùm enim Propoſitiones triginta quatuor confixiſſent Theologi Belgæ, ſex duntaxat confixas Germani ajunt, & ab impactis Cenſuris abſolvunt. Ita quippe Treyirenſes judicio præfantur: *Prodiit ſuperiori anno Cenſura Theologorum Facultatis Theologiæ in Academia Lovanienſi, quæ tanquàm peregrinas, offenſivas, periculoſas, hæreſique vicinas damnant, atque rejiciunt ſex Propoſitiones, à Profeſſoribus Societatis Jeſu in ſcholis ſuis Lovanii doctas, & publicè traditas; de quibus rogati ut noſtrum judicium communicaremus, negare non potuimus id officii, quod veritatis confirmationi debetur.* Ita verò Theologi Moguntini. *Quoniam à Facultate noſtra Theologica petitum eſt, ut ſententiam de ſex Propoſitionibus, inter Academiæ Lovanienſis Doctores, & Societatis Jeſu Theologos controverſis ferremus; non potuimus non tam juſtæ petitioni facere ſatis, & breviter judicium* IV.

*noſtrum in veritatis patrocinium hoc ſcripto communicare*. Quid apertius, quid nitidius? Et id tamen obelo notat Metzenius; additoque convicio ſuperbæ auris faſtidium prodit. *Nunquid hoc eſt*, inquid, *reduviam curare, ubi capiti medendum eſt? Sex tantum Propoſitiones cenſura notandas ſibi Germanicæ Academiæ delegerant, in quibus rei cardo vertebatur: reliquas, quòd ad rem non eſſent, ſilentio prætermiſere. Ideòne earum judicium leve, elumbe, volaticum fuit? O Medici huic mediam pertundite venam?*

Quid reponere poſſim, ſi maledictis certandum eſſet, ſat vides, mi homo? An eam interpretationem gemini judicii verba præ ſe ferant, dicant quibus cerebrum integrum eſt. Propoſitiones quatuor ſupra triginta confixerant Lovanienſes: ſi itaque lectis ex integro, perpenſis, & ad criſim vocatis Cenſuris Belgicis, totidem confixas Germani noverant, ſed fortè ut operæ parcerent, ſex tantùm, in quibus rei cardinem verti crederent, notandas elegerant, cæteris ſilentio miſſis, quòd ſibi ad rem non eſſe viderentur; cur nihil ejusmodi quidquam in geminis judiciis ſignificant? Cur ſummam integram ad certa capita revocatam non innuunt? Sed contrà potiùs, ſex à Lovanienſibus rejectas

ctas præfantur, ſex ab impactis Lovanii notis abſolvunt, nullâ cæterarum injectâ mentione. Immò omnes ſenario numero concludi ajunt: *Omnes ſex Profeſſorum Societatis Propoſitiones.*

Et verò, aut iis Propoſitionibus abſolutis, reliquas utpotè ex eadem radice fluentes inoffenſo pede doceri poſſe arbitrabâtur Germani Theologi, aut non. Si primum, poſtulabat igitur officii ratio, ut id obiter ſaltem innuerent; ne quis fortè Jeſuitas Belgicis Cenſuris inuſtos, à Germanis ne dimidiatè quidem abſolutos effutiret. Si alterum, non eſt cur adeò de Germanorum Judiciis glorientur, qui Propoſitiones viginti & octo ſub Cenſorum virgâ reliquiſſent. Certè cùm ne ſex illas quidem Propoſitiones in judicium adductas diſtinctè diſpungant, nec minutatim ad criſim revocent, nec peculiare ſingularum examen inſtituant; ſed promiſcuè, dictatoriâ authoritate, brevi paginâ rem totam expediant, easque paſſim à Catholicis Theologis doceri pronuncient, atque ita Cenſurâ vacare: nihil omninò cauſæ erat, cur Propoſitiones triginta quatuor ad ſex duntaxat revocarent, ut vel operi parcerent, vel brevitati conſulerent: tantundem enim aut operis, aut ſpatii ſuccurrebat, ut triginta quatuor propo-

ſitiones

ſitiones abſolverent explicatè, atque diſtinctè.

V. Id ergo compertum, id certum, velit nolit Syndicus Trevirenſis, Germanos Theologos, ne viſis quidem Cenſuris Belgicis, judicium feſtinaſſe, nec ſex ex tam multis ſelegiſſe, unde cæteræ fluerent; ſed Socios ipſos Lovanii notatos, delectum feciſſe; & ſententiam de ſex duntaxat tranſmiſſis propoſitionibus poſtulaſſe. Delectum à ſupplicibus factum, nedum quæ diximus probant, ſed & apertè ſignificant Moguntini, dum ſe de ſex propoſitionibus rogatos ajunt: *Quoniam à Facultate noſtra Theologica petitum eſt, ut ſententiam de ſex propoſitionibus, inter Academiæ Lovanienſis Doctores, & Societatis Jeſu Theologos controverſis, ſententiam ferremus &c.* Quod minùs verè dicerent, ſi de triginta quatuor rogari eſſent, è quibus ſex præcipuas ſelegiſſent.

Atque hoc ipſum eſt, quod objiciebam levitatis argumentum. Nec immeritò. Ecquæ enim ratio, quæ forma juris permittebat, ut brevi inſpectâ laciniâ, ab ipſis reis tranſmiſsâ, de tota Lovanienſi Cenſurâ decernerent, & Theologos, à quibus lata fuerat naſo ſuſpenderent? Unde noverant, totius rei cardinem ſex illis propoſitionibus

verti

verti, de quibus ſententiam rogabantur, ſi reliquas ignorabant, quæ ne transmiſſæ quidem fuerant? An fortè, quòd ita ſupplices ſcriberent, ſeque ad ea capita totam cæterarum propoſitionum ſummam revocaſſe dicerent? At imprudenter reis fides habebatur, quos ſuſpicari facile erat, minùs invidioſas propoſitiones, minùsque cenſuræ obnoxias obtuliſſe, ut illarum abſolutionem faciliùs extorquerent. Quamquàm ergo ſex illæ tranſmiſſæ propoſitiones, à Germanis Theologis abſolutæ, totam omnium triginta quatuor propoſitionum ſummam re ipſa complecterentur, (quod expendere in præſentiâ non poſſum, quia nec illas videre contigit, nec illas decreto ſuo inſeruere Trevirenſes, & Moguntini) vel ob id unum in levitatis notam incurrerent, quòd ita ex ſupplicum fide poſuiſſent, nec inſpecto Inſtrumento judicium feſtinaſſent.

Syndicum, Iuris utriuſque Doctorem, ad Iuriſconſultos amandare ſat erit, ut eam judicandi formam, levitatis, ne quid pejus dicam, ab illis damnatam intelligat. *Scriptura alicujus non eſt de facili redarguenda, niſi priùs ponderetur tota vis ſcripturæ*: Abbas Panormit. in Cap. *Cùm adeo* 17. *de Reſcriptis* num. 1. *Ubi una ſcriptura ſe refert ad aliam, utraque*

*quæ eſt edenda* : Pariſius in Additionibus ad Bartolum, ad Rubricam c. de edendo. *Si à partè ad ſuum commodum fiat Judici editio Inſtrumenti, vel Privilegii, debet fieri de tota Scriptura; immò etiam de additione: quia eſſe poſſet aliqua particula, quæ corrigeret, & limitaret præcedentia* : Bartolus ad Rubricam Digeſtorum *de novi operis nunciatione* num. 7. & 8. & Abbas Panormit. in Cap. *Contingit* 5. *de fide Inſtrumentorum.* Sed ante hos omnes Sanctus Eulogius Alexandrinus, Libro contra Severianos, & Tritheitas, ſi Photio quidem fides eſt Codice 225. *Conſtituit Legem, & Canonem, Scripta dijudicare non oportere ex parte, neque fragmenta quædam, ſumendo ex his detorta, de Scriptoris mente judicium ferendum.*

VI. Sed quid tandem? Brevem illam meam in judicia Moguntinorum, & Trevirenſium animadverſionem digna obſervatione definiebam: Epiſcopos ſcilicet benè multos, aliosque meritiſſimos viros *volatica judicia deſpexiſſe, contemſiſſe*. Huic nigrum theta præfigit Syndicus, nil tamen in oppoſitum regerens, non alia fortè de cauſa, quàm quòd à me fuerit ineluctabiliter demonſtrata. Res mutuò conferre ſatis fuerit. Lovanienſes Theologos *nodum in ſcirpo quæſiiſſe*

*ſiſſe potiùs, quàm veritatem illuſtraſſe*, pronunciaverant Trevirenſes: eosdem illos, *ad Stoicos errores Calviniſtarum viam quaſi ſtraviſſe*, dixerant Moguntini; contra verò Epiſcopi Belgæ, necnon Canonicorum Ordines, latis Cenſuris calculum adjiciebant. Litem hanc *importuniſſimo tempore* à Lovanienſibus motàm Germani cenſuerant; eamdem Epiſcopi hac ipſa ætate non movebant modò, ſed Lovanienſibus adjudicabant. Notata ab Lovanienſibus Dogmata, *nec peregrina, nec offenſiva, nec hæreſi affinia*, ſed *ab omni hæreſi, errorisque ſuſpicione aliena*, immò *ad omnium ædificationem, doctis omnibus comprobantibus, aut ſaltem non contradicentibus, in ſcholis tradita, typisque vulgata*, Germani geminæ Academiæ Theologi judicaverant; Epiſcopi contrà, tanquàm Pelagianæ ſectæ reliquias, toto Belgio Synodorum authoritate proſcribendas exiſtimabant. An non id amabo eſt, Trevirenſium, & Moguntinorum judicia deſpicere, contemnere, pro volaticis habere? Num ita porrò ſe res habuerit, ipſa mihi teſtis Societas erit, ſicubi unquam hac certè occaſione omni exceptione ſuperior, in Imagine primi ſçculi, Lib. 6. Cap. 4. p. 848. *adverſariis noſtrum dedecus indeſinenter urgentibus, major*

*Epiſco-*

*Epiſcoporum pars, & quædam Collegia Canonicorum, geminis duarum Academiarum Cenſuris calculum adjiciebant. Mechlinienſis verò, & Cameracenſis Metropolitæ Synodum parabant Epiſcoporum, qui dogmata noſtra, à duabus Facultatibus damnata diſcuterent, eademque toto proſcriberent Belgio, tanquàm impias Maſſilienſium, aut Pelagii reliquias; adeòque Societati notam inurerent hæreticæ pravitatis.* Et erit poſt-hac, qui me Trevirenſis, & Moguntinæ Academiæ judicia plus æquo deſpexiſſe dicat, illatamque injuriam expoſtulet? Nemo, puto, niſi qui illis ſuſceptæ laureæ Sacramento ſuam obſtrinxerint fidem, & religionem obligarit. Verùm illum rerum ſuarum immodicum æſtimatorem cæteri dicent, qui libero affectibus animo de tota hac noſtra diſceptatione judicabunt.

Interea Iudicia Treviris, & Moguntiæ lata repræſento, quæ dictis hactenùs fidem afferent.

VII. *Judicium Theologorum Academiæ Trevirenſis.*

„ Prodiit ſuperiori anno Cenſura
„ Theologorum Facultatis Theologicæ
„ in Academia Lovanienſi, qua tam-
„ quàm peregrinas, offenſivas, periculoſas,

„ loſas, hæreſique vicinas damnant, „ atque rejiciunt ſex Propoſitiones à „ Profeſſoribus Societatis Ieſu, in ſcholis ſuis Lovanii doctas, & publicè „ traditas; de quibus rogati ut noſtrum „ judicium communicaremus, negare „ non potuimus id officii, quod veritatis confirmationi debetur.

„ Atque in primis, ut quod res eſt „ ſincerè fateamur, videntur Doctores „ Facultatis Theologicæ Lovanienſis „ nodum in ſcirpo quæſiiſſe potiùs, „ quàm veritatem illuſtrare voluiſſe, „ quando hanc litem importuniſſimo „ tempore excitarunt. Quî enim fieri „ poteſt, ut illa dogmata peregrina, „ offenſiva, & hæreſi affinia ſint, quæ „ Romæ in conſpectu Summi Moderatoris Eccleſiæ Catholicæ à viris un„ dequaque doctiſſimis traduntur; in „ Hiſpaniæ florentiſſimis Academiis, „ ubi rigidiſſimè omnia ſolent, & accu„ ratiſſimè examinari, quæ vel hæreſim „ ſapere, vel offenſionem parere, aut „ periculum erroris procreare poſſint, „ proponuntur; in Germaniæ Catho„ licis Academiis ſine ſcrupulo inter „ medios hæreticos cum laude magna „ docentur, & pari utilitate propu„ gnantur? Immò & ab ipſis antiquio„ ris Lovanienſis Academiæ Doctoribus,

„ bus, quorum doctrina fulget ut Sol
„ in Eccleſia Chriſti, publicis ſcriptis
„ in lucem ſunt edita, atque frequenti
„ typorum repetitione, doctorumque
„ virorum calculis, tanquàm ſolida,
„ & firma comprobata: ut proindè
„ non immeritò, qui veritatem ſincerè
„ amant in Doctoribus Lovanienſibus
„ deſiderare poſſint illud: *Interroga*
„ *Patrem tuum, & annunciabit tibi;*
„ *Majores tuos, & dicent tibi; neque*
„ *tranſgrediaris terminos antiquos, quos*
„ *poſuerunt Patres tui*; id eſt viri ob
„ ſingularem pietatem venerandi, &
„ ob excellentem eruditionem à filiis
„ non deſerendi.

„ Non debet ſanè peregrinum cen-
„ ſeri, quod cunctis ferè privatos inter
„ & publicos parietes commune eſt:
„ nec offenſivum judicari, quod à viris
„ & doctrina claris, & ſalutis publicæ
„ ſtudioſis ad omnium ædificationem,
„ doctis omnibus comprobantibus, aut
„ ſaltem non contradicentibus, in
„ Scholis docetur, & typis vulgatur:
„ nec periculoſum haberi, quod ſine
„ periculi ſuſpicione, ubique locorum
„ cum celebrium Scholarum conſen-
„ ſione, & diſcipulis traditur, & poſte-
„ ritati conſignatur. Ad hæc, hæreſi
„ non eſt affine pronunciandum, quod
nullis

„ nullis ſacræ Scripturæ ſententiis,
„ nullis Conciliorum Decretis, aut
„ Pontificis Maximi definitionibus ad-
„ verſatur; cujusmodi ſunt omnes ſex
„ Profeſſorum Societatis Propoſitio-
„ nes: ut illis clarè conſtat, qui his
„ in ſtudiis, vel mediocriter verſati
„ ſunt.
„ Cenſemus itaque, utriuſque partis
„ tam Cenſorum ſcilicet Lovanien-
„ ſium, quàm Profeſſorum Societatis
„ Ieſu aſſertiones, quas ante hoc no-
„ ſtrum Iudicium poſuimus, in Theo-
„ logorum Scholis, atque Academiis
„ hactenùs exſtitiſſe probabiles, ac
„ fundamentis ſolidis, quantùm rerum
„ natura patitur, firmatas, atque cor-
„ roboratas; ideoque temeritatis nota,
„ atque corrupti judicii ſuſpicione
„ vacare non poſſe, qui vel damnare
„ vellet, in rebus his graviſſimis, quod
„ nec à viris ſapientibus unquàm aliàs
„ damnatum vidit, nec ex munere ſuo
„ damnare poteſt, vel doctis, ac piis
„ viris alteram partem amplectentibus,
„ ac docentibus, infamiæ, arrogantiæ,
„ aut erroris notam impingere.
„ Addimus etiam illud cenſendi,
„ ſeu determinandi munus, non ad
„ Theologos Lovanienſes pertinere,
„ ſed ad eum, quem Chriſtus Mundi
F Ser-

„ Servator Eccleſiæ ſuæ prȩfecit, quem-
„ que huiusmodi controverſiarum Ju-
„ dicem, ac Doctorum omnium Do-
„ ctorem eſſe voluit.
„ Porrò quamvis ignoremus quo
„ conſilio hæc ſententiarum diſquiſi-
„ tio, & Theologorum minimè neceſ-
„ ſaria altercatio hoc tempore ſit exci-
„ tata, illud tamen unum certò nobis
„ conſtat, multò conſultius, atque adeò
„ honorificentius Cenſoribus futurum
„ fuiſſe, ſi dum hoc diſſidium ſine ſoli-
„ do fundamento fabricatum fuit, paci
„ Patriæ, concordiæ publicæ, & exſtir-
„ pandis erroribus invigilatum fuiſſet
„ maximè. Quod ſi res ad trutinam
„ æqua lance expenderetur, fortè ali-
„ quot Cenſorum propoſitiones, magis
„ quàm Profeſſorum Societatis Ieſu,
„ hæreticorum erroribus favere vide-
„ buntur; quippe quæ bona opera ex
„ parte impugnant, & Arbitrii humani
„ libertatem vehementer conſtringunt.
„ Hæc tamen omnia ſic volumus à
„ nobis dicta, & ſcriptis mandata, ut
„ utriusque partis propoſitiones in ea
„ veritatis, atque probabilitatis affir-
„ matione maneant, quam huc uſque
„ in ſcholis obtinuerunt, & etiamnum
„ in doctiſſimorum hominum opinione
„ obtinent, donec Summus Eccleſiæ
Catho-

„ Catholicæ Paſtor, quid verum, aut
„ falſum ſit, decernat, Treviris, Ka-
„ lendis Iunii 1588.

*Petrus, Suffraganeus, Doctor Theologus, Procancellarius Univerſitatis.*

*Petrus Pollius pro tempore Theologicæ Facultatis Decanus.*

*Ioannes Gibbonus Sacræ Theologiæ Doctor.*

*Ioannes Macberentinus Sacræ Theologiæ Doctor.*

*Hermannus Sandorpius Sacræ Theologiæ Doctor.*

*Ambroſius Carolus Sacræ Theologiæ Doctor.*

*Hadrianus Vanden Bruele Herentalen Sacræ Theologiæ Doctor.*

*Iacobus Fiſcherus Sacræ Theologiæ Doctor.*

*Judicium Theologorum Academiæ Moguntinæ.*

„ Quoniam à Facultate noſtra Theo-
„ logica petitum eſt, ut ſententiam de
„ ſex propoſitionibus inter Academiæ
„ Lovanienſis Doctores, & Societatis
„ Ieſu Theologos controverſis, ferre-
„ mus; non potuimus non tam juſtæ
„ petitioni facere ſatis, & breviter ju-
„ dicium noſtrum in veritatis patroci-
„ nium hoc ſcripto communicare.
„ Fatemur itaque non parùm nos mi-

 rari,

„ rari, quomodò Academia tam cele-
„ bris difficillimis hiſce temporibus
„ tam gravem litem de Propoſitioni-
„ bus plerisque omnibus probabilibus,
„ hoc eſt, quæ ſalva fide in utramque
„ partem diſceptari poſſent, excitave-
„ rit; quæ niſi tempeſtivè ſopiatur,
„ verendum eſt, ne non modò viam
„ muniat ad aliquod ſchiſma, ſed hæ-
„ reticis quoque per Galliam, & Ger-
„ maniam, ubi innotuerit, materiam
„ ſuppeditet inſolentiùs in Catholicos
„ debacchandi: maximè cum hactenùs
„ nullo ferè in vulgus plauſibiliori
„ argumento oſtenderimus apud Lu-
„ theranos, & Calviniſtas, veram Ec-
„ cleſiam eſſe non poſſe, quàm quòd
„ omnia ſint diſſentionum apud ipſos
„ pleniſſima de rebus graviſſimis.
„ Quod autem ad dictas ſex Propo-
„ ſitiones, quas Doctores Lovanienſes
„ improbarunt, & condemnarunt atti-
„ net, arbitramur eas ſecundùm expli-
„ cationem à Theologis Societatis Ieſu
„ eis adjectam, eſſe ab omni hæreſi,
„ erroriſque ſuſpicione alienas, & Ca-
„ tholicæ Doctrinæ in ſcholis receptæ
„ congruentes. Cæterorum verò Do-
„ ctorum Lovanienſium propoſitiones
„ his contrariæ, etſi probabiles ſint,
„ & ab hæreſi alienæ, tamen quædam,
ut

„ ut quæ de Prædeſtinatione, & libero
„ arbitrio agunt, videbantur nobis
„ æquò duriores, eò quòd viam quaſi
„ ſternere putarentur (niſi ſuâ quoque
„ explicatione molliantur) ad ſtoicos
„ errores Calviniſtarum de Prædeſti-
„ natione, & libero arbitrio. Mogun-
„ tiæ Kalendis Maii anno 1588.

*Vitus Miletus Sacræ Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Sancti Mauritii Moguntiæ Præpoſitus, & pro tempore Facultatis Theologicæ Decanus.*

## CAPUT V.

*Præceps nimis, ac ſubita Doctorum Theologorum inauguratio, in quibusdam Germaniæ Academiis, meritò ſugillata. Numeratæ pecuniæ ſuſpicio, ad extorquendà quarumdam Academiarum judicia haud temerè obſervata.*

PRæcipitem nimis, ac ſubitam Docto- I.
rum Theologorum inaugurationem in Moguntinis, & Trevirenſibus obiter ſugillavi, Lovanienſium quidem comparatione, qui longæ moræ experimenta ab initiandis exigunt. Cùm enim Theologos Lovanienſes pro meritis extuliſſem, ut ex dignitate Cenſorum latis in Leſſium, & Hamelium Cenſuris æſti-

mationem conciliarem, ad Trevirenſes, & Moguntinos ſermonem converti, ad quorum judicia provocaverant, qui ſe minùs æquè iniuſtos arbitrabantur. Adſcriptitios Iudices prioribus minimè comparandos dixi, non eo duntaxat nomine, quòd Societatem profeſſi eſſent, & cauſam domeſticam ex jure decernere non poſſent; ſed ex Academiarum conditione, quas Lovanienſi toto Orbe celeberrimæ faſces ſpontè ſubmittere, æquum eſſet. *Academias*, inquiebam, *Trevirenſem, & Moguntinam concitârunt, in ſuæ doctrinæ qualecunque præſidium; obſcuri certè nominis Academias, in quibus non triduo, ut de cauſarum Patronis ajebat Tullius, ſed uno mane Doctores Theologi fabricantur.*

Tam ſubitam Doctorum fœturam à me malo animo, & convitiandi libidine confictam nemo dicet, qui hanc ipſam à Pariſienſi cæterarum omnium principe Academia, nec non etiam ab Lovanienſi celeberrima, diu ante me notatam intelliget, ac ſtylo etiam mordaciori ſugillatam. Utriusque Academiæ inſtrumenta conferre ſufficit, ut res in propatulo fiat. De Academiis Societatis curæ commiſſis queruntur Theologi Pariſienſes, quòd ſtudiorum diſciplinâ exſtinxerint, quòd Doctores Theologos fingant uno die,

die, quòd præcoci inauguratione, non tam Magiſtros initient, quàm inopinos in diſciplinis, ac literis fungos effundant: quo vel uno, tametſi alia non ſuppeterent, Trevirenſem, & Moguntinam Academiam communi joco ludi nemo non videt. Theologi verò Lovanienſes, Academias Societatis providentiæ permiſſas ſingulatìm indigitantes, in queis Studiorum diſciplina præ reliquis everſa, lapſaque eſt, Trevirenſem, & Moguntinam nominatim appellant. Quidni ergo in iis præ cæteris Doctores uno die fabricari, & fungorum inſtar germinare fateamur, ſi Pariſienſibus, & Lovanienſibus fidem damus? *Per Concordata*, (verba ſunt Academiæ Pariſienſis, Capite 3. laudata) *& Pragmaticam ſanctionem cautum eſt, ne iis gradus conferantur, qui ſtudia non conſummarint in Univerſitate famoſa. Jam quis non videat, diſciplinam illam everſum iri, ſi Ieſuitæ in Privilegiorum noſtrorum poſſeſſionem veniant. Peregrinum illum in aliarum Academiarum hiſtoria eſſe oportet, qui neſciat collapſam penitùs diſciplinam, iis in ſcholis, in quas demùm admiſſi ſunt. DOCTORES ILLIC UNO DIE FABRICANTUR; præcocesque inaugurationum fructus plus ſatis indicant, artem illos adinveniſſe, qua in ipſis*

 *etiam*

*etiam Diſciplinis, ac Literis fungos edant. Longum illud, aſperumque ſcientiarum iter, quo ſegnes, atque inertes deterrentur, nullis jam impedimento erit. quo ex tempore ab iis contractum eſt. Mollities cum Literis in gratiam rediit: quodque olim nonniſi moleſto ſudore obtinebatur, ſola nunc in Societatem mirificam veneratione obtinetur.* Ita verò Lovanienſis Academia, ſcripto jam à me appellato Cap.3. *Facultatum Academicarum Collegia vigorem, floremque ſuum perennaſſe, Univerſitatum, quæ adhuc exſtant exempla teſtantur. Cùm enim præclariſſimis è toto mundo ingeniis ad ea ſemper aditus pateat, non poſſunt in iis ingenia deficere, quæ prædeceſſorum doctrinam æmula contentione perennent. De Societatis Collegiis quantilla haberi poteſt experientia, nihil tale promittit. Notarunt multi imminutam ex nunc ſcholarum Societatis faciem, quoad diſciplinæ ſeveritatem, quoad docendi methodum. Germaniæ Univerſitates, quas Societas ſuo hoc novo modo regendas ſuſcepit, TREVIRENSIS, MOGUNTINA, MUSSIPONTANA &c. rigorem non intendunt, ſed remittunt.*

Ringatur itaque Syndicus Trevirenſis, quòd præcipitem illam Doctorum inaugurationem ſugillarim, meque pro ingenitâ charitate, ob id unum, cavillatorem, ſycophantam, mendacem, blatero-

teronem appellet; in Academiam Pariſienſem, & Lovanienſem, qui eandem ante me ſugillarunt, convicia recident. Harum ego præſidio tutus, tamquàm ſub onerariis navibus navicula delitescam: atque interim in Ariſtarchum ſolâ linguâ ferocem, Auguſtini verba regeram, Lib. I. contra Iulianum Cap. 4. *Cernis cum quibus tua maledicta ſuſtineam? Cernis cum quibus mihi ſit cauſa communis? Quam nulla conſideratione ſobria pulſare calumniis, & expugnare conaris? Cernis quàm tibi pernicioſum ſit, tam horribile crimen objicere talibus; & quàm mihi glorioſum, quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace*: audacem *linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus proterva ora ſubmitte*.

Sed quid ille tandem, ut Doctores ſuos longo molimine, lentoque ductu formari probet, noſque putidi mendacii reos agat? Se totum excutit fervidus actor, Academiæ ſuæ ſtatuta congerit, titulos laudat, quibus doctrinæ experimenta præſcribuntur, ut quis Treviris gradus obtineat: ſubeunda examina, Theſes propugnandas, minutatim ediſſerit, uniuſcujuſque præſcriptum ſpatium obſervat: ac tum demùm, ubi congeſſit univerſa, montemque paritu- II.

rum

rum putes, Baccalaureum quatuor horis cudi, Doctorem ſenis formari convincit; ſi tamen ad amuſſim ſervantur omnia. Hoc enim ſpatio (ſi ſingula in ſummam deducas) notata in Statutis experimenta concluduntur. Ecquid amplius ego dextro animo concipere potuiſſem, ut accuſationem rei confeſſione probatam oſtenderem? Quidni uno die, aut etiam, ſi verbis ſtandum, uno mane fabricatum dicerem, quod ſenis horis formatum ait? Tantumdem enim ſpatii nobis indulget uno mane etiam atra hiems, dum maximè bruma dies arctavit. Et tamen ſi ſuperis placet, ſuis illis ſtatutis ad nauſeam uſque diſpunctis, quaſi Doctorem Trevirenſem, longæ moræ tormento, lento Molimine, tardæque ſpei cruciatu, ſapientiæ ſacris initiatum demonſtraſſet, meque jam naſo ſuſpendiſſet, epinicium canit: *Eat nunc*, inquit ille, *Sycophanta noſter*, *&* *uno die fabricari Doctores mentiatur*. Eas tu potiùs, Declamator, & uno die fabricatum nega, quod ſenis horis fabricatum agnoſcis. Ita ſcilicet viri in obſcuris Academiis innutriti de Doctore Theologo abjectè ſentiunt, ut cui formando decennium impar eſſet, ſenis horis ritè expiatum exiſtiment: illumque tantùm non ut Herculem habeant (in

( in quo proſeminando binoctium expuncto die continuavit Jupiter) ſi unius alteriùsve diſputatoris levem, ac defunctoriam impreſſionem ſuſtinuerit. Si quis fortè juvenis ſacris literis leviter tinctus, de una alteràve Quæſtione Theologicâ, blæſa nare loquatur; pedibus plaudunt choreas: oh ſic itur ad aſtra! Puppus, & delicium Muſarum, & magnum Iovis incrementum!

Pergit tamen Syndicus noſter reportatæ victoriæ fiduciâ tumidus, & epicinium pro more ſuo, convicio abſolvit, ut mendacium exprobratæ ſubitæ Doctorum inaugurationis exaggeret. *Dicam ego veriùs*, inquit ille, *eum Pauli Æmilii coquum imitari, qui uti ex uno apro ſexcenta fercula confecit, ita & illum ex uno cerebello ſexcenta mendacia fabricare*. Longè veriùs dixerim ego, Metzenium pro nominis cognatione Mæiſonem coquum imitari, ita conviciis, ac dicteriis in theatro ludere ſolitum, ut inde dicteria petulantiùs jacta, Græci σκώμματα μαισωνικά vulgò dicerent. Vix enim illi periodus exit, in qua non probrum aliquod expuat: dicteria effundit pleno modio; tantùm conviciorum profuſus, quantùm rationibus vacuus. Nihil me hac parte mentitum probant celeberrimæ Academiæ quarum ſuffragia recenſui:

ſui: probat & ipſe qui tum maximè Doctores uno die apud ſuos fabricari ſtatuit, dum oppugnat.

III. Addam etiam, nec addidiſſe pigebit, minùs firmum ex Statutis Academicis argumentum petitum iri, ſi quid magni momenti decernerent, niſi idem illa eadem ſanctè, & religioſè ſervari conſtet. Quis etenim ſe vadem exhibeat, illa diſciplinæ capita, quantulacunque illa ſint, ea ætate temporum ſervata eſſe, de qua nihil maximè ſermo erat: cùm maximè Theologi Lovanienſes jàm tùm ab anno 1619. disertè moneant, Academiam Trevirenſem, & Moguntinam, *diſciplinæ rigorem non intendere, ſed remittere*? Quis neſciat multa in obſcuris Academiis ex lege ſanciri, quæ vel mittuntur omninò, vel defunctoriè ſervantur, vel ex gratiâ temperantur? Ita ſcilicet ſocordiâ juvenum poſtulante; ne ſi ſummo cum illis jure ageretur, ſtudiis, ac literis valedicerent. Vetus eſt illa de nonnullis Academiis expoſtulatio, in iis legum laxamenta pecuniâ redimi, experimenta prehenſationibus temperari, majorem in augendo fiſco, quàm in ditando literarum imperio, curam impendi. Quæ tamen à me dicta nolim, quaſi Academiam Trevirenſem hoc loco habeam, ſed ut intel-

ligat

ligat Syndicus noſter, leve, atque elumbe in Statutis, ſi gravia experimenta decreviſſent, argumentum peti, niſi hæc anno 1600. de quo mihi in Hiſtoriâ ſermo fuit, obſervata demonſtraverit.

Dicam tamen, quod è re mea eſſe puto, & præſentem Academiæ diſciplinam ſatis prodit. Vir pietate, ac literis ſpectatiſſimus, Coloniæ Doctor, Theologus, & Profeſſor, qui & Treviris aliquamdiù ſubſtitit, de primis vulgatæ Querelæ rumoribus amicum Romæ degentem per epiſtolam certiorem faciens, die 13. Decembris, illud de præcipiti Doctorum inauguratione teſtimonium obiter tulit. *Spargitur quoquè ab Univerſitate Trevirenſi, in quâ ut ipſe oculatus ſum teſtis, uno mane fiunt Doctores, aliquid eſſe expeditum contra Hiſtoriam Congregationum. An & quid veri ſubſit reſciam proximè, nec omittam communicare.* Conceptiſſima epiſtolæ verba ſunt (nam & is latinè ſcribebat) quæ meam in notandâ præcoci Doctorum fœturâ, fidem abſolvant.

Diſtinctiùs multò Vir alter eximius, Treviris degens, brevi epiſtolio, die 3. Aprilis 1701. dato, cujus nobis fragmentum humaniſſimè communicatum eſt, præſentem Academici Senatus ſtatum

tum aperuit Doctori Colonienſi pereru-dito, quo is familiariter utitur. *Author Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis*, ſcribebat ille, *pungere voluit irregularitatem Conſilii Academici Trevirenſis, dicendo obſcuri nominis eſſe, in eoque non triduò, ſed uno mane fabricari Doctores. Id quod non adeò abjectè loquitur. Siquidem penès ſolos Jeſuitas ſtat gubernatio politica Univerſitatis, & negotiorum ad illam ſpectantium tractatio: atque ita illi ſoli componunt Conſilium Academicum; ſuntque de facto tantùm tres: unus in Univerſitate Colonienſi promotus Doctor, & in tali qualitate hîc nondum receptus; alii duo nullius gradus ſunt. Quis, amabo, hunc Senatum Academicum non dicat obſcuri nominis? Excluduntur togati Magiſtri, & ſedem deferre coguntur non promotis. Uno profectò mane promoventur illi Doctores Societatis, utpotè per primam, & ſolam lectionem in Theologia habitam. Neque, ſuorum tenaciſſimi, alios ad hunc Senatum Academicum admittere volunt, ne ipſorum gubernatio turbetur. Sic ſunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Habetur quidem in Annalibus Univerſitatis ut nullus ad Conſilium admittatur, niſi promotus Doctor; ſed nova alia Statuta ipſi componunt. Quid ad hæc Univerſitas Colonienſis, cujus privilegia noſtra Trevirenſis participat? &c.* Quid porrò

porrò aliud velim ego, aut unquam volui? Abſit enim ut Theologos Trevirenſes perſtrinxerim univerſos, quos inter, aliquos novi eruditione præſtantes, ac ſuo nomine dignos. Conſilium Academicum unicè perſtrinxi, quod unum Cenſuras expedit, comitia celebrat, gradus literarios pro nutu diſpenſat, rem Theologicam moderatur, ac regit: conſilium, inquam, trino nunc, & quidem Moliniano capite concluſum; quod nobis Syndicus liberalis, tanquàm Areopagi conſeſſum oſtentat, quod de nobis, & Hiſtoriâ noſtrâ ſententiam dicat.

His cumulum addit alterius Theologiæ Profeſſoris meritiſſimi, Treviris commorantis, Reſponſum, die 4. Aprilis de ſcripto datum, quo nonnullis de vulgatâ Querelâ interrogatis ſatisfecit. 1. *Non eſt verum*, inquit, *quod jactat Syndicus, quòd à quatuor Doctoribus, Quæſtiones Candidato proponantur: cum ſoli Ieſuitæ examen faciant, qui non ſunt Doctores, ſaltem promoti, licet doceant. Ex quo* 2. *facilè deducitur, quòd perfunctoriè quandoque fiat, maximè ſi Creatura ſit Ieſuitica, aut ſi promotionem Ieſuitæ promoveant, & velint. Unde* 3. *conſtat, quòd Theſium defenſio ſæpè habeatur pro forma.* 4. *De lege eximente non conſtat, neque de tempore,*

*tempore, quo Statuta facta ſunt; neque qua forma Iuramentum* * *non docendi exigatur &c.* Hæc ille, cui injurato licet, fidem habere malim, quam Syndico Trevirenſi, vel ipſum, ut ajunt, Iovis lapidem juranti. Ringatur itaque fervidus Actor, frontem feriat, probraque, atque convicia in me congerat, *Quorum onus haud portet centum ratis incita remis*; nihilo maiorem dictis fidem aſſeret, ſed adimet potiùs; notâ dudum malorum litigatorum arte, ut tùm maximè ad maledicta confugiant, dum illos maximè ratio fugit.

Mitto, quod alii monent, Querelam non abſque Theſeo fuiſſe elaboratam; & alium quidem nomen, alium operam locaſſe. Id enim nemo tantillùm emunctæ naris, & affectato ſtylo non facilè deprehendit: & cantilenam è ſchola eſſe, non è foro, profectam cuivis illicò ſubolet.

IV. Iam ad alteram tituli partem accedo, de numeratæ pecuniæ ſuſpicione, à me obiter obſervatâ. Id ego levi brachio tetigeram Col. 186. ubi de ſcripto ab

---

* *Alludit ad inductam corruptelam, qua nonnullos Doctores promovent præmiſſo Iuramento, quo ſpondent ſe nuſquam Theologiam publicè profeſſuros.*

ab decem Ieſuitis contra Thomiſticam ſcholam elaborato, (de quo hìc Capite 1. prolixè diximus) ſermonem habens, conquiſitas nonnullarum Germaniæ Academiarum ſubſcriptiones obſervavi, in hunc modum: *Variarum obſcuri nominis Academiarum, (in quibus & ipſi tunc maximè dominabantur) Ingolſtadienſis ſcilicet, Græcenſis, Dilinganæ, Vvirceburgenſis, Moguntinæ, Muſſipontanæ, Trevirenſis, & Viennenſis ſubſcriptiones extorſerunt, privata quidem induſtria, nec ſine numeratæ pecuniæ ſuſpicione.* Id à me haud temerè obſervatum, brevi conſideratione evinco, quantùm in movenda ſuſpicione ſatis erit; nec enim uti rem certam venditavi, tametſi probè noveram à Ioanne Mariana Ieſuita generatim ſcriptum, uti rem compertam, & nulli dubiam, non mediocrem nummorum copiam in Molinæ negotio impenſam fuiſſe. Verba refero: *Solo dire, que con occaſion de un libro, que imprimio el Padre Luis de Molina ſobre la gracia, y libre alvedrio aquellos Padres (Dominicos) ſe alteraron grandemente, acudieron a la Inquiſicion, y de alli à Roma, donde toda via anda el pleyto, y ſe trata con grande porfia: que quando ſe ſalieſſe con vitoria, que todo eſta in duda,* AURA COSTADO MUCHOS MILLARES, *y inquietud*

***Ioan. Mariana Lib. de Regimine Societatis Cap. 6.***

*quietud de muchos años*. Quæ latinè ſic reddo: *Hoc unum dicam, occaſione libri à Patre Ludovico Molina editi De gratia, & libero arbitrio, vehementer excanduiſſe Patres illos (Dominicanos) Ad Inquiſitionis Tribunal rem detulerunt. Inde Romam translata, ubi adhuc ſub Iudice lis eſt, & cum magna animorum contentione agitatur. Ex qua licet victores evaderemus, quod adhuc valdè incertum; certum interim, multis* NUMMORUM MILLIBUS, *& anxiis plurimorum annorum curis ſtatum iri victoriam*. Sed de meâ ſuſpicione adhuc pauca.

Si Germaniæ Academias excipias, nullæ de excitatâ Prædicatores inter, & Ieſuitas controverſiâ judicium tulerant, niſi quærente Romano Pontifice, & Generali Hiſpaniarum fidei Quæſitore. Nullæ hoc ſibi ſumpſerant, ut de pendente coram Apoſtolicâ Sede quæſtione graviſſimâ pronunciarent, niſi à ſupremo Iudice ſententiam rogatæ. Immò piaculi inſtar habebatur, ad litigantium preces de lite dicere, & partem alteram ex alterius narratione damnare. Ipſa etiam Academia Pariſienſis ſæpiùs laceſſita à ſententiâ temperaverat, ne falcem in alienam meſſem immitteret, & Summi Pontificis Iudicium anteverteret. Ut primùm igitur Romæ vulgari

cœpta

cœpta ſunt Germanicarum Academiarum judicia, quibus pars altera ex alterius ſcripto damnabatur; ac necdum ſatìs perſpectum erat, quibus Moderatoribus regerentur, quinam latis Cenſuris nomina ſubſcripſiſſent, num Ieſuitæ ipſi profeſſionem ſuam catè in ſyngraphâ diſſimulantes; ſuſpicari facile fuit, rotum id nundinatione machinatum, quod aliàs à viris liberis nusquam obtinendùm videbatur, hac etenim viâ quorumdam ſuffragia in nonnullis Academiis redimi, ut de dogmatibus pecuniâ judicetur, boni lugent. Gravem ea de re querelam, apud Theophilum Raynaudum legere eſt, virum utique minùs hac in parte laudandum, utpote qui res pro more ſuo in majus augeat; ſed Metzenio ex Ieſuitica veſte gratiſſimum, magnâque apud ipſum authoritate valiturum. In Erotematibus De bonis, ac malis libris 3. Par. Erotem. 2. Num. 472. ubi de Academiarum cœtibus, ita diſſerit: *Multitudo numeroſior eò facilior eſt, ut in factiones ſcindatur, & ut de dogmatibus, aut libris, in quibus traduntur, non ex judicio, ſed ex affectu, aut ad gratiam, per nundinatitia capita pronuncietur. Quod quàm ſit frequens, in hujusmodi cœtibus, nihil attinet demonſtrare copioſè. Inde certè non rarò contingit, ut libri, &*

 ſen-

*ſententiæ Doctorum Orthodoxiſſimorum judicio publico alicujus Academiæ configerentur*. Verùm ubi primùm in comperto fuit, Germanicas Academias Societatis imperio regi; immò Iudices adſcriptitios penè omnes Societatis viros eſſe, tametsì ut dolum tegerent, profeſſionem chirographis mentirentur; nulla numeratæ pecuniæ ſuſpicio fuit: quòd ii profectò non eſſent, quorum ſuffragia redimi oporteret, ſed ad tuendam domeſticam cauſam ſtudio commodi ducerentur.

V. Num hæc movendæ ſuſpicioni ſatis eſſent, dicant quotquot affectu liberi fuerint: viderintque an aliqua mihi temeritatis nota inuri debeat, quòd id brevi verbulo, ac leviter obſervarim. Attamen ut ut eſt, diu ante quàm Metzenii Querela vulgaretur, cum Hiſtoriæ locum incudi reddens in Additionibus, ut res breviter recenſitas paulò diſtinctius exſequerer, hanc enatæ ſuſpicionis obſervationem expunxeram: adeò ſum ad quamcumque offenſionem amovendam animo comparatus. Ita quippe locum hunc, de ſcriptione ab decem Ieſuitis editâ, & à Germanicis Academiis comprobatâ, recognovi. *Erat hæc, uti obtendebant, ſolennis ſcholæ Thomiſticæ accuſatio ad ſupremum Eccleſiæ Tribunal*

prope

*prope diem deferenda. Utque ante annos aliquot non ita unctum caput extulerant, ex Hiſpanicarum Academiarum Conſultatione, à quibus Moliniſmus Pelagianiſmi notatus erat; Germanicas obſcuri nominis Academias in Auxilium invocarunt, quæ edito Scripto calculos adderent: ut hac arte committerentur variarum nationum Academiæ, & Jove in Trojam pugnante pro Troja ſtaret Apollo. Academias igitur Ingolſtadienſem, Gracenſem, Dilinganam, Vvirceburgenſem, Moguntinam, Trevirenſem, Viennenſem, ac etiam Muſſipontanam occuparunt, quæ tranſmiſſam lucubrationem editis ſuffragiis comprobarent. Academiaſne dixerim, an veriùs Societatis ipſius publicas ſcholas; quibus ſcilicet præſunt, ubi Cathedras moderantur, Theologicos gradus diſpenſant, omnia pro nutu, & imperio agunt? Id ſaltem exploratum nobis, quod fuſiùs Libro 4. exſequemur, Theologorum ſcilicet, qui iis ſcholarum Judiciis ſubſcripſere, partem quadruplo majorem Ieſuitas fuiſſe, qui diſſimulata in ſyngraphis religioſa profeſſione, ſub honeſto Academiarum titulo latitantes, domeſticæ cauſæ judicium affectabant. Hanc tamen cautionem,* & reliqua, quæ ſequuntur.

Nihil illic de numeratæ pecuniæ ſuſpicione. Atque inde fortaſsè factum, ut Syndicus Trevirenſis eum Hiſtoriæ

noſtræ locum mitiùs perſtrinxerit, quem jam tunc à nobis recognitum, & emollitum fortaſſis inaudiverat. *Quod autem addit*, inquit ille, *libro 2. col. 186. Societatem in Belgio Germanicarum Academiarum judicium extorſiſſe, non ſine numeratæ pecuniæ ſuſpicione, tam futile eſt, ut confutatione non egeat*. Nullo me pro more convicio protelat, nullo ſcommate ludit; quaſi ſua illi Rhetorica defuiſſet.

Dicam tamen obiter, videri illum ne Hiſtoriam quidem meam perlegiſſe; qui quod ego de Ieſuitis Romæ poſitis, cauſamque contra Prædicatores urgentibus innueram, de Ieſuitis in Belgio degentibus, & ab Academiâ Lovanienſi inuſtis, dictum accepit: ut mihi apud Trevirenſes ſuos majorem conflaret invidiam; quaſi eis præ cæteris lati Iudicii nundinationem exprobraſſem.

## CAPUT VI.

*Noviſſimus Hiſtoriæ Congregationum Author, uti Germanicæ Gentis conviciator iniquè à Metzenio traductus: perperam diſſimulati nominis incuſatus.*

I. ETſi me ſub Gallico cœlo natum profitear, nulloque Germanicæ Genti Sacramento obſtrictus, vitales auras

auras in libero ſolo ducam; ea tamen mihi de inclitâ gente opinio inſidet, cultus, veneratio, atque in omne obſequium pronus animus, ut ex tam multis, quibus me Metzenius conviciis oneravit, hoc unum mihi exulceraverit animum, quo me uti Germaniæ conviciatorem traducere auſus eſt. Verùm nota eſt illa nonnullorum ars, ut ab exteris Scriptoribus laceſſiti, Nationem integram unà ſecum laceſſitam dictitent; quò privatam cauſam publicam faciant, nec jam pro laribus, ſed pro Patriâ decertare videantur. Ita Bembus à Juſto Lipſio perſtrictus totam ſecum Italiam perſtrictam voluit; virumque Clariſſimum velut inclytæ Gentis profeſſum hoſtem traduxit; cœlumque terræ miſcuit, ut hanc illi inviſam faceret. Alii quibus dolent oculi, ſi quid de Patriâ ab Alienigenâ, quem depreſſum velint, notari videant, iniquo animo dictum clamant; tametſi hoc idem à popularibus expreſſiùs fuerit obſervatum. Ita Germanos nonnullos in Octavium Ferrarium commotos vidimus. Cùm enim ingens Viri virtus, Regiis muneribus aucta, quorumdam oculos ureret, hoc illi vitio dedere, quòd corruptam olim Germanorum militarem diſciplinam obiter obſervaſſet, in ea Oratione pa-

negyricâ, quâ Chriſtinæ Auguſtæ laudes exſecutus eſt; nec levem illi apud inclytam Gentem invidiam conflarunt, quaſi de ea minùs dignè pronunciaſſet.

Horum ego fortunam ſubeo. Germaniam univerſam in pauculis, obſcurisque Academiis perſtrictam clamat Metzenius: quòdque corruptam ſuperiori ſæculo diſciplinam, non militarem quidem, ſed Scholaſticam obiter dixerim, grande in Nationem inclytam attentatum ſcelus contendit, tantùm non morte piandum. At quid ego interim? Magnorum virorum exemplo, nationis florentiſſimæ, quam nolo quidem offenſam, judicia non detrecto: *Sed volo judicia ſemper, & ne quid affectus officiat: quia ut oculus, in quem humor illapſus eſt, parùm clarè videt, ita mens in quam ille.* Ita Lipſius Epiſtolâ 6. ad Alphonſum Ciaconium. Ad populares ſcriptores provoco, qui corruptam ſcholaſticam diſciplinam ante me obſervarunt, ut nihil à me amplificatum, nihil in majus auctum certò conſtet. Ita Ferrarius in Epiſtola ad Nicolaum Heinſium: *Summi Principis legatus*, ſcribebat vir maximus, *mihi turbas ciet ſponte, ſive eorum inſtigatione, qui novam hanc felicitatem ægris oculis aſpiciunt: quòd ſcilicet in Panegyrico Auguſtæ, de gentis illius corrupta militari*

*militari diſciplina inclementiùs locutus ſim. Sed nihil à me confictum, atque in majus auctum intelliget, quicumque ejusdem gentis nuperos Hiſtoricos perlegerit, præcipuè Lotichium, immò à me non pauca atrociora ſilentio tranſmiſſa.* Evolvat itaque Metzenius jam à me appellatos Germaniæ Scriptores, Univerſitatum cataſtrophen enarrantes. Audiat conterraneos ſuos, non in angulis, privatisque ſcriptionibus, ſed palàm in ſacris cœtibus neglecta literarum ſtudia, collapſas Academias, remiſſam ſtudiorum diſciplinam facundè exſequentes. Conſulat Germanicarum Synodorum, Trevirenſis, Moguntinæ, Colonienſis, de ſtudiis erigendis edicta decreta: legat Uuigulcum Collegii Monacenſis Ingolſtadii Præſidem, in ſua Metropoli Salisburgenſi, *deficientes paulatìm, ac frigeſcentes, pleraſque Germaniæ Univerſitates anno* 1570. diſtinctè notantem. Ac tum demum, ſi jure quidem id poteſt, me unum Germaniæ conviciatorem obtendat; qui quod à Germanis accepi, multò modeſtiùs adnotarim.

Certè mihi Gallia patria eſt, in cujus cultu, veneratione, obſequio, fide, nulli concedo; pro qua etiam mortem oppetere, mihi votum: nulla tamen mihi religio fuerit, nonnullas Acade-

Academias, Pariſienſis comparatione; obſcuri nominis ſcholas dicere; Gallorumque neminem fore puto, rerum noſtrarum adeò immodicum æſtimatorem, qui Patriæ irrogatam injuriam dictitet: cùm ad illius gloriam pertineat potiùs, eam fovere Academiam, quæ cæteras majeſtate obterat; cujus comparatione nonnullæ etiam Gallicæ, obſcuri nominis cenſeantur. Et me virum liberum, alieni juris, ac ſoli, traducet Germanus Syndicus, tanquàm inclytam Nationem conviciis onerarim; quòd nonnullas Germaniæ Academias, obſcuri nominis Scholas dixerim, comparatione Lovanienſis, quam Germanicis Univerſitatibus illorum temporum Scriptores adnumerant!

*Iacob. Midde. Lib. 5.*

Germanos omni retrò ætate bellicâ laude floruiſſe, non diffitebitur, opinor, Syndicus Trevirenſis; tamen corruptam militarem diſciplinam; cadente ſæculo decimo ſexto, obſervavit non ſemel Joannes Petrus Lotichius, Germanus ipſe, Lib. de Rebus Germanicis. Nunquid is inclytæ Nationis conviciator? Dicat Metzenius, ſi potis eſt. Quid ſi famoſum Ieſuitam Buhurſium æmulatus, hujuſmodi dubium moviſſem in libro Gallico omnium terendo manibus: *An Germanus homo præclari ingenii laude* *præ-*

*Entretiens d'Ariſte, & d'Eugene par le P. Bouhours*

*præſtare poſſit?* SI UN ALLEMAND PEUT ETRE BEL ESPRIT. Ita ille in Colloquio Ariſtum inter & Eugenium *De præclaro ingenio*; DU BEL-ESPRIT. Cui quæſtioni idem Ieſuita reſpondet „ Monſtro „ ſimilliimum eſſe Germanum eleganti „ ingenio præditum: *C'eſt comme un prodige qu'un Allemand ſoit ſpirituel.* Si quid tale mihi excidiſſet, toti Germanorum Genti tam contumelioſum; Deus bone! quot clamores, quot convicia, paucula hæc verba Trevirenſi Syndico excivіſſent, qui tam tetro me cenſet nomine, quòd corruptam Germanicarum Academiarum diſciplinam brevi verbo ſignificarim?

*Ieſuite* Du bel eſprit.

*V. La Table* 1.*edit.* *p.*233. 2.*edit.* *p.*302.

II. Sed neque potiori jure diſſimulatum mihi nomen exprobrat, importuno quæſitori ſatisfaciet Salvianus, Epiſtola ad Salonium: *Sed requirit forſan aliquis, quis ille Author ſit, ſi Apoſtolus non eſt; & utrum ſuum libellis ipſis, an alienum nomen inſcripſerit? Verum eſt, poteſt hoc quidem quæri, & rectè quæritur, ſi inquiſitio valet ad aliquem fructum pervenire: cæterùm ſi infructuoſa eſt, quid neceſſè eſt ut laboret curioſitas, cùm profectum curioſitatis non ſit habitura cognitio? In omni enim volumine profectùs magis quæritur lectionis, quàm nomen Authoris: & ideò ſi profectus eſt in lectione, & habet, quiſquis ille eſt,*

*eſt, quod poteſt inſtruere lecturos, quid eſt cum vocabulo, quod juvare non poteſt curioſos? Ita ut digniſſimè huic Inquiſitori Angelicum illud reſpondeatur: Patriam quæris, an Mercenarium? Cùm enim nullus profectus ſit in nomine, qui profectum in ſcriptis invenit, ſuperfluè nomen ſcriptoris inquirit.*

Equidem Metzenius in muſtaceo gloriolam quærens, brevi pagellæ nomen, ac titulorum phaleras inſcripſit, tanquàm immortalitatem negotiaturus: multumque intereſſe putavit, ut ſciret ſera poſteritas, ingentis moliminis, tantarumque vigiliarum opus profectum *à prænobili, clariſſimo, conſultiſſimoque Viro, ac Domino D. Carolo Gaſparo Metzen, Juris utriusque Doctore, & Syndico Univerſitatis Trevirenſis*. Nos exiguam opellam noſtram haud tanti fecimus, ut titulos fronti præfigeremus; tenuemque fœtum, ſine nomine, veluti capite minutum, in publicum miſimus. Verùm ſi nos idcircò tenebriones vocandos exiſtimat, eodem tam multos Eccleſiæ Patres, ac veteres Tractatores, ſcommate feriat, qui aut tacito, aut diſſimulato nomine rem literariam, & Eccleſiaſticam locupletarunt.

Et verò juſtam quandoque ſubeſſe tacendi nominis cauſam, evincunt Clementis

mentis VIII. ſancitæ leges *de Impreſſione librorum*, Paragrapho 1. Ubi cùm ſtatuiſſet ſanctiſſimus Pontifex, Authoris nomen librorum frontibus præfigendum, è veſtigio ſubjungit, ſubeſſe tamen aliquandò poſſe juſtam reticendi nominis cauſam, judicio Præſidum approbandam. Ecquis porrò Metzenium nobis præſidem dedit, ut noſtras illi diſſimulandi nominis rationes exponeremus? Clementis verba ſubjicio: *Nullus liber in poſterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat Authoris. Quòd ſi de Authore non conſtet, aut juſtam aliquam ob cauſam, tacito ejus nomine, Epiſcopo, & Inquiſitori liber edi poſſe videatur; nomen illius omninò deſcribatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit.*

Certè ſi quando ſilentium Authoris reſarcire poteſt Cenſoris nomen, quantò feliciùs reſarſiſſe putandi erunt undecim variarum Academiarum, & Ordinum Profeſſores, Approbatores Synodales, qui datis ſuffragiis, Hiſtoriam Congregationum, non ſine laudis præfatione comprobarunt: ut jam non unum, ſed multa admodùm nomina fronte præferat?

III. Egregium ſanè Cenſorem, qui nos ob diſſimulatum nomen tenebriones appel-

appellat, nec tamen quid iis, quorum cauſam agit dorſo pendeat, animadvertit! Quonam ergo vocandi nomine, qui non modò libros cœcis, aut confictis nominibus edunt, nullisque Cenſorum calculis approbatos in vulgus mittunt, quales nobis centenos exhibet Societatis Bibliotheca; verùm etiam, qui à Regibus, à Cardinalibus, & Epiſcopis, de libris adversùs Regiam, & Epiſcopalem Auctoritatem clanculum editis, ex Juris formâ in Galliis interrogati, nihil hujusmodi quidquam è Societate profectum, data de ſcripto Regi publica fide, conteſtantur: quibus tamen Allegambius, libero ſub cælo poſitus, ora verberat, domeſticos fœtus agnoſcens? Is quippe *Amphitheatrum honoris*, ſub ementito Bonarcii nomine, contra Regiam Auctoritatem evulgatum, quod à Societatis viro minimè editum, Henrico IV. Cottonius conteſtatus erat, à Carolo Scribanio Concellitâ ſuo compoſitum probat: aliasque lucubrationes adversùs Eccleſiaſticam Hierarchiam, confictis Danielis à Jeſu, Nicolai Smithei, Hermanni Lœmelii nominibus publicatas, quas à Societate nequaquàm profectas, ejusdem Præpoſiti Lutetiæ degentes, dato Cardinali Richelio, aliisque Præſulibus Inſtru-

*Petrus Aurel. in Prolog.*

*Lud. de la Salle. Steph. Binet. Jul. Haineuve.*

Inſtrumento profeſſi fuerant, ab Edoardo Knotto, & Joanne Floydo Societatis Profeſſoribus elaboratos agnoſcit. *Claud. Mall. lar.*

Rem certè ludicrè feſtivam! Idem quod ego argumentum tractaturi quondam aliàs Franciſcus Annatus, & Leonardus Sherlogus, Societatis Actores publici, Eugenii Philadelphi, & Pauli Leonardi nomina induerunt, innoxio capite: Contra Janſenium de Divinis Auxiliis diſputans Joannes Martinonus, ſub Antonini Moraines larvâ; & Stephanus Dechamps ſub Antonii Richardi nomine delituêre: peregrina nomina affectarunt alii benè multi, quibus eandem telam redordiri placuit, & ii quidem latere tecto. Unus ego à Syndico Trevirenſi vapulabo; tametſi fidei meæ ſponſores, ac vades undecim dederim? Erunt aliorum opera ære digna, alieno licet nomine proſtent; noſtra ob id unum igne damnanda. *Tibine licet, ſcientiſſimum caput, de cunctis Tractatoribus ferre ſententiam, & quaſi cenſoria virgula alios ejicere de Bibliothecis, alios recipere?* Deſine itaque querelarum, aut æquâ in omnes virgâ animadverte, qui aſcititio nomine ſuas hoc de argumento lucubrationes evulgarunt. *Hier. Ep. 75 ad Vigil.*

Sed

IV. Sed quò tandem cenſoria Metzenii Declamatio recidet? Audite perorationem, dignum patellâ operculum : *Atque hæc ſunt præcipua juſtiſſimarum querelarum capita, quas pro meo munere contra Auctorem anonymum Hiſtoriæ Congregationum in hoc Academico conſeſſu depono : ſimulque librum offero, ſcommatis, calumniis, mendaciis pleniſſimum; almæ hujus Univerſitatis judicio relinquens, quam Cenſuram, pœnamve mereatur.* Bellum profectò! ſcilicet poſtquam me mille conviciis, dicteriis, calumniis oneravit, *Lavernionem, mendacem, ſycophantam, blateronem, impudentiſſimum, veſpertilionem, atri ingenii virum* dixit; Librum meum utpote ſcommatis, calumniis, mendaciis pleniſſimum damnari poſtulat vir modeſtiſſimus!

*Juven. in Satyr.*

*Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.*
*Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?*
*Quis cælum terris non miſceat, & mare cælo,*
*Si fur diſpliceat Verri, ſi homicida Miloni?*

Hoc dico tantùm : binæ Metzenii periodi plus continent acoris, & fellis,

quàm univerſa Auxiliorum Hiſtoria. At id Lippis proprium eſt, mala ſua oculis inunctis non pervidere, in aliorum autem defectibus tam cernere acutum, quàm aut Aquila, aut Serpens Epidaurus. *Papulas obſervatis alienas, ipſi obſiti plurimis ulceribus. Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum nævos, aut verrucas derideat, quem fœda ſcabies depaſcitur.* Seneca Lib. de vita beata Cap. 27. *Ejice*, itaque Metzeni frater, *primùm trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui.* *Luc. 6. v. 42.*

Jam quòd me ad Academiæ tuæ tribunal traducis; à te, tuique ſimilibus provoco. Liber homo ſum, alieni juris, ac fori. Ad hæc, adverſa mihi pars, in quam non ea modò lacinia, quam carpere libuit, ſed & integra Auxiliorum Hiſtoria edita eſt, juriſdictioni præeſt, totumque Theologicum tribunal conflat, in quo Cenſuræ, ac judicia expediuntur. Porrò virum Juris utriusque Doctorem latere non debuit, quid ea de re Jura ſtatuant. *Qui Juriſdictioni præeſt, neque ſibi jus dicere debet, neque Uxori, neque Liberis ſuis, neque cæteris, quos ſecum habet.* Lege *qui Juriſdictioni* 10. *ff.* de Juriſdictione. Item, *Iniquum eſt aliquem ſuæ rei judicem fieri.* Lege *Julia-*

H *nus*

*nus* 17. *ff.* de judiciis. Si quid itaque, poſthabito Juris ordine, contra me moliantur; ſi judicium affectent; ſi quam mihi notam inurant; honoris loco ducam, glorioſam, illuſtremque contumeliam reputabo. Nec enim eâ mente calamo manum admoveram, ut partis adverſæ gratiam demererer, eamque mihi propitiam facerem. Quod de Cardinali Bellarmino, extortâ iniquis malevolorum artibus Cenſurâ inuſto, notarunt Fuligattus, & Petra-ſancta, potiori jure uſurpabo, *Criminatio intrà gloriam fuit*. Gelaſii Romani Pontificis oraculum alta mente defigam: *Si injuſta ſententia eſt, tantò eam curare non debet, quantò apud Deum, & Eccleſiam ejus, neminem poteſt iniqua gravare ſententia*. Can. *Cui eſt*, Causâ 11. Quæſt. 3.

*Lib. 2. Cap. 7.*

# Finis.

*Cen-*

# *Cenſura.*

HÆc Defenſio Authoris Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis nec à regulis fidei, aut bonorum morum devia eſt, nec moderamen inculpatæ tutelæ excedit. Actum Antuerpiæ hac 16. Maii 1701.

ARNOLDUS EYBEN,
*Librorum Cenſor.*

Digitized by Google

# INDEX
# CAPITUM.

****


CAPUT I.

*Caroli Metzenii Syndici Trevirenſis Querela, Scriptionis occaſio, & argumentum* pagina 1

CAPUT II.

*Nonnullarum Germaniæ Academiarum Judicia, quibus tranſmiſſum Societatis ſcriptum anno* 1599. *approbarunt, à nupero Congregationum Hiſtorico jure rejecta* pag. 9

CAPUT III.

*Nonnullis Germaniæ Academiis obſcuritas nominis citra invidiam objecta, Belgicarum præſertim comparatione* pag. 33

CAPUT IV.

*Academiæ Trevirenſis, & Moguntinæ Judicium contra Cenſuram Lovanienſem anno* 1588. *pronunciatum, à nupero Congregationum Hiſtorico,* leve, atque elumbe *meritò dictum* pag. 61


CA-

CAPUT V.

*Præceps nimis, ac ſubita Doctorum Theologorum inauguratio, in quibusdam Germaniæ Academiis, meritò ſugillata. Numeratæ pecuniæ ſuſpicio, ad extorquenda quarumdam Academiarum judicia haud temerè obſervata* pag. 85

CAPUT VI.

*Noviſſimus Hiſtoriæ Congregationum Author, uti Germanicæ Gentis conviciator iniquè à Metzenio traductus: perperam diſſimulati nominis incuſatus* pag. 102

Digitized by Google

Ill.mo Sig.r Sig.r Col.mo

Giampezzo sa che non ho hauto
di scrivere a V. Sig.a Ill.ma adess
e sauvrende Il Nro S.r Serj a fa
diffesa en Latino stimatissima con
risponde al syndico dell vrsla de
Questo vn tributo che doviamo tutti
incomparabile Mecenas le stamp
altro Libro per Le Cose della Chine
crede sara meglior che tutti Li altri
sara stampato farro il mio dovere e
So vmilissima ... Ao. 6. Ag

00565872O

Digitized by Google

Restauro del Libro
Badia di Cava

Google